

V
B
J
D


V
B J
C

IGNITUS SERAPHIM
Ardore Divini Amoris
FERVESCENS.
SIVE
MEDITATIONES SACRÆ
In singulos Anni dies,

Ex Dominicæ currentis Evangelio, ac incidentibus Redemptionis Humanæ præcipuis Mysteriis,

DEPROMPTÆ.
Ad inflammanda corda Religiosa Fervido zelo, ac Seraphico calamo,

Per A. R. P. THOMAM GLATTZ.
Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S. P. F. Almæ Provinciæ Minoris Poloniæ ExProvincialem.

CONSCRIPTÆ.

CRACOVIÆ.
Typis Casimiri Jakowski Typographi A. D. 1772.



VIRO SERAPHICO,

CATHOLICO, APOSTOLICO,

Divo Patri & Patriarchæ Assisiati

FRANCISCO.

Celsa humilitate conspicuo,

Christiani Orbis Fulcimento.

ECCLESIÆ REPARATORI,

ORDINIS MINORUM FUNDATORI,

Corporê

Nec viventi, nec Mortuo,

Christi Crucifixi Plag

Clavorùmqve Insig

ADMIRAN

ANTE OBITUM MORTUO,
POST OBITUM VIVO.
Creato ab Æterno Patre,
AD IMAGINEM FILII,
Sigillato à Filio Unigenito,
IN SIMULACRUM SUI,
Inflammato à Spiritu Sancto,
IN SPECIEM SERAPHINI.
A SANCTISSIMA TRIADE,
In Arcam Divinæ Reconciliationis
FABRICATO.
Homini non ab Humo, sed à Cælo dato,
Pauperi Diviti, Omnibus omnia facto,
In Symbolum maximæ Pietatis,
MAGNO SUO PATRI.
Minimus ac indignissimus Filius.
D. D. D.

Re-

Religiosissimi In Christo Fratres

ILle THOMAS, qui minimus Vestrum ATHOMUS non tàm Virtutis pretio, quàm benevolentiæ Vestræ indicio, ternis vicibus, ad Primatiale Serviendi Almæ huic Provinciæ Sublimatus Officium, estô non prout volui, sed quantùm tenuitatê meâ valui, cunctis tamen, Cælô testê, prodesse studui. Si me quando molestum Religiosæ objeci pupillæ, non animus nocendi, sed ab animis Fraternis præcavendi, quod in oculis Dei & hominum, offensivo posset esse athomo, in votis fuit. Si me athomum pedibus Fraternis, Religiosâ subjeci humilitatê, nulli offendiculo, sed solidæ Virtutis, ac cuilibet fundandi ad altiora gradus, cupiebam esse adminiculo. In Athomos *denique Votorum Vestrorum dividi exoptassem, ut omnibus omnia factus, omnes Salvos facere possem. Hoc fine servientem educationi Novitiorum, Religiosam conscripsi Ethicam. Sicuti etiam ad manutenendam constanter in suo flore Regularem Observantiam, pro hac florentissima Matre Provincia, diu desideratam obtuli Statutorum Municipalium compilationem. Sed quoniam Pontificia Julij II. Papæ, approbantis Constitutiones nostras, commonet me Authoritas, qui dicit:* Non debet reputari, vera ibi esse, aut durare posse Observantia, ubi de Meditationis jugi exercitio parum curatur. *Cui etiam S. noster* Bonaventura *subscribit inquiens:* Si fortè Religionem aliquam deformatam, ac inhonestis Fratribus resperſam conspexeris, propter Orationis Mentalis ægestatem, vel penuriam hoc illi malum evenisse credas: è contra verô, Religiosos humiles, pauperes, pudicos, Observantes, Obedientes, temperatos, quietis amatores, fructum

Animarum zelantes, Virtutibus plenos, ex eò tales putes, quod Orationi Mentali sedulò incumbant. *Parùm igitur est, venientem ex Sæculo, ad Ordinem Novitium, Religiosis instrui disciplinis; nisi præconceptus fervor, Sanctis & assiduis foveatur Meditationibus. Unde tales monet Kempensis:* Frequenter de Beneficijs Dei cogita; adqvid venisti? & cur Sæculum reliquisti? *Neque Professus, Facta Deo, constanter observabit Vota, nisi sponsionem suam, jugi stabiliat Meditatione, recogitans cum Propheta: quod* Melius sit non vovere, quàm post Votum promissa non reddere. *Eccl. 5. Salva denique Obedientia, inter omnia Religiosi exercitia, SS. Patrum judicio. utilissima est Religioso Oratio Mentalis, nam ex hac omnes Virtutes promanant, obtentæ durant, & fortius operantur.* Siquidem Meditatio est Soror Lectionis, nutrix Orationis, directrix operis omniumque pariter perfectio, & consummatio Virtutum. *Ait Hugo a S. Victore. Celebris item Commentator Statutorum Kerh, dicit: Meditationem esse Magistram Scientiæ, quam ignorat Religiosus, ducem Viæ quam nescit: Medicinam vitiorum, munditiem peccatorum, repulsam pusillanimitatis, & effectricem stabilitatis quâ indiget. Valdè enim miser esset Religiosus, sola sterili Psalmorum decantatione occupatus si frequenter & seriò, peccati fœditatem, Sæculi vanitatem, Mortis horrorem, Judicij severitatem, gehennæ Supplicia, Beatitudinis præmia, Dei Beneficia, & Passionis Christi non recoleret acerbitatem.*

Certùm est, quod Homo per Peccatum Originale, spoliatus manserit gratuitis, & vulneratus in donis naturalibus, nam privatus est, non solùm Justitia Originali, & alijs donis supernaturalibus, quibus à Deo cumulatus fuerat, sed etiam læsus fuit, in donis

natu-

naturalibus, quia intellectus post peccatum obscuratus mansit, ad intelligendas res Divinas; Liberum arbitrium debilitatum; Voluntas facta infirma, ad bonum efficiendum: Et appetitus ad patrandum malum, factus est validus; Memoria vaga: Imaginatio tam inquieta, ut vix sinè distractione, unam Orationem Dominicam absolvere valeamus. Sensus præterea facti sunt ad illicita curiosi. Caro immunda, & ad malum proclivis. Unô verbô Natura humana, ita est per peccatum læsa, quod sit modo veluti destructum Horologium, quod aliter sonat, aliter indicē horas signat. Et quamvis per Baptismum deleatur reatus culpæ Originalis, ad cautelam tamen, & humiliandam Hominis superbiam reliquit Deus in potentiis Animæ & sensualitate corporis, infelicem illam pugnam, & contrarietatem quod nunc miser homo, magis propriō, quàm Dei ducatur amorē, plus inclinetur ad explendam propriam, quàm Dei Voluntatem. Passionesque & desideria contrariantur, & sæpè rebellizant contra dictamen rectæ rationis, prout ipse recognoscebat in se Apostolus dicens: Sentiò aliam Legem in membris meis, contradicentem Legi mentis meæ, captivantem me in Lege peccati; ubi Spiritu præesse Volo, carne autem subesse cogor. Spiritus quærit sursum, caro autem deorsum, meliora probo, deteriora sequor. *Roman. 7. Et inde est, quod multa salutaria ex dictis, lectis ac majorum exhortationibus sciamus, sed quia in homine sola Voluntas est potentia libera, & ad malum potiùs, quam ad bonum prona, ideoque nisi per frequens Meditationis exercitium affectibus excitetur, qui est finis Meditationis: semper Religiosus in eō permanebit statu, quod multa bona sciet: & intelliget, sed horum nihil, aut parum in exercitium operis deducet. S. Thomas Aquinas ex illo Versu Psalmi 38.* Conca-

luit

luit Cor meum intra me, & in Meditatione mea exardescet ignis. *Ita ratiocinatur: Sicuti ex concussione Silicis & Chalybis elicitur ignis, ita ex consideratione motivi Meditati, ejusqve iterata exageratione, procedit in Voluntate Devotio. Et quemadmodum Anima, in Corde, & virtute sua vivifica, ac naturali calore, Sangvinem commovendo, spiritus vitales generat, quibus Corpus incalescens, ita ad omnes functiones Vitæ peragendas indiget, ut sine illis neque esse possit, neque aliter, nisi per tales Spirituum Vitalium agitationes, vivere censeatur: ita certè Meditatio intellectus, cùm sua Virtute discursiva, ac calore influxus Cœlestis, ruminando rationes, & motiva generat Spiritum Devotionis, qvo Voluntas langvens, Frigida, ac quasi semimortua, per considerationem suorum defectuum sive desiderium Virtutum, primò incalescit in Dei amorem, & fervens ei serviendi desiderium, ac firmum ejus Mandata & Regulæ Præcepta observandi propositum, quamvis arduæ obstent difficultates superandæ.*

Non est hic mei propositi, modum explicare Meditationis. cùm in hoc quisque supponatur ex Religioso Novitiatus Tyrocinio sufficienter eruditus: sed ut necessitas hujus Sacri Exercitij magis reddatur commendabilis. & profectui Religioso utilis, scire opportet: quod Sancta Meditatio, aliud sit, quam Philosophica Speculatio, nam Philosophus speculatur, ut intellectum erudiat & doctior fiat. Meditans vero, prelecti sibi puncti Objectum, sive Mysterium considerat, non ut principaliter, quod legitur sciat, sed ut eandem Veritatem cognoscendo ac per omnes convenientias sibi videndo utilem, amplectatur, & perinde Religiose ac Sancte vivat. Nam dicit S. Ambros: Præceptorum Divinorum, Meditationis intentio, & finis, est operatio. *Unde dicebat Kempensis Asceta:* Malo sentire

tire compunctionem, quam scire eius definitionem. *Ex quo infertur, quod sicut* Meditatio *constat tribus partibus:* Præparatione *scilicet, ipsa* Meditatine, *& affectu sive* Conclusione. *Ita consideratio intellectus circa Objectum Meditatum; tamdiu durare debet, donec Anima sentiat affectum Voluntatis inflammari circa Objectum de quo proponitur Meditatio, alias sinè ejusmodi* Conclusione, *non est* Meditatio, *sed solùm circa propositam Materiam, simplex cogitatio. Nisi quandoque Deus secretô, Judicii sui beneplacitô.* Ariditatibus, & Desolationibus *Animam mortificare velit, nam protunc quamvis nullam sentiat cordis dulcedinem, aut affectus teneritudinem, resignato nihilominus. & patienti animo debet se committere Voluntati Divinæ; donec aliter ordinaverit, constanter tamen perseverare obligatur in Exercitio Sanctæ Meditationis, ac Orare cum Propheta:* Redde mihi o? Deus lætitiam salutaris tui; & Spiritu principali confirmamc. *Psal: 50. & Deo volente, dum minimè speraverit, redibit animæ tranquillitas magna, ac componentur fluctus maris tumultuantium cogitationum & turbatarum animi affectionum.*

Cùm ergo Sacræ Meditationis *Exercitium, tantæ sit præstantiæ, Virtutis ac necessitatis, ut Religiosus, non nisi per illud in Virtutibus, & exacta Regulæ Sanctæ ac Statutorum suorum Observantia proficiat, proficiens perfectus evadat, ac tandem in Perfectione perseveret. Animô itaque non docendi,* sed *serviendi, hocce Sacrum* Meditationum *conscripsi opusculum, & Sanctissimo Patriarchæ FRANCISCO Consecravi, ut qui in Schola divini Amoris, ac continua Cælestium contemplatione, ignitus fieri meruit Seraphim, Vestra etiam o! Fratres. accendat Corda, & moveat Voluntates, quatenus illa, quæ ejus dictamine, per Sacram*

Pro-

*Professionem Deo spopondistis, etiam ipso effectu ferv*ide *expleatis.* Uniformitas *sicut quemlibet Statum ornat plurimùm ac commendat, ubi multi,* unius labij, *unius videntur esse Cordis ac Voluntatis; ita & in hac Alma Provincia, unô labiô Professi sumus Regulam S. uniformi Statuorum regimur Observantia, conveniens igitur est, ut par Sacræ Meditationis studium usurgemus. Planô stylô, ac usitatis magis terminis, in hoc conscribendo, quam curiosis phrasibus, aut cultu verborum usus sum apparatu, propter faciliorem Juniorum Fratrum intelligentiam.* Tempori *etiam servientes, juxta currentia per Annum Evangelia, disposui Meditationum materias, nam quilibet sapidior fructus, qui convenienti colligitur tempore. Inter illos, qui paucis admodùm verbis, & qui prolixis explicationibus, Meditationis proponunt puncta,* medium teneo; *ut Meditans, & sufficientem discussionis habeat materiam, & non in illa immoretur admiratione, quod Deus alteri locutus est, sed hoc diligenter audiat, quod sibi loqui velit. Nec Araneum immitatus sum, ut vilem telam proprii texerem partus: sed potius studiosam secutus Apem, non pungendo quenquam, sed ex varijs Sanctorum Patrum Sensibus & Sententijs, illud mel dulce colligendo, quod Cordibus & Animis Vestris, Salutarem afferre possit gustum, Si quid autem cuipiam non placuerit, meam nequaquam turbabit sinceritatem, memor illius aphorismi Poëtæ:. quia.*

Diversis diversa placent, quod spreverit unus,
Alter amat: cunctis nemo placere potest.

Si quid vero præmij locô pro labore sperem, hoc unicum desidero; Ut postquam Deus ignê sui amoris. & fervorê Regularis Observantiæ Vestra, o! Fratres in Christo dilectissimi, accenderit Corda, me etiam

vilem ATHOMUM, limo terræ affixum, radio Cælestis gratiæ, ad se trahere dignetur: dumque per Meditationem Seraphicis ardoribus Vestra spiraverint pectora, meum cor GLACIALE in pænitentes resolvatur lachrymas. Et ubi Fideles servi debitam meritis Vestris perceperitis Coronam Justitiæ: minimus Cætui Vestro adhærens ATHOMUS, ab Eô misericorditer respiciat, Qui novit etiam immeritos.

Coronare in misericordia & miserationibus. *Psalm. 102.*

VIVITE FAVETE VALETE.



APPROBATIO PROVINCIÆ.

Fr. ALEXANDER MAŁYNSKI.

Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S.P. FRANCISCI Almæ Provinciarum Matris, Minoris Poloniæ.

MINISTER PROVINCIALIS,

& in Domino Servus.

Cùm opus, cui Titulus: IGNITUS SERAPHIM frigeſcentê Mundô, ad inflammanda in Deum, Religioſorum corda, piô, ſvavi ac erudito calamo per A.R.P. THOMAM GLATTZ Provinciæ Noſtræ his Ex Miniſtrum Provincialem conſcriptum, duo delegati Theologi recognoverint, & approbaverint: proindè ut qvantocyùs lucem publicam aſpiciat, dignum omninò cenſeo. Datum in Conventu Kielcenſi ad S. Carolum Boromæum. Anno Domini. 1771. Die 6. Octobris.

Fr. Alexander, idem qui ſupra.
Miniſter Provincialis.

(L.S.)

IMPRIMATUR.

M. JACOBUS MARCISZOWSKI

U. J. DOCTOR, & PROFESSOR, CANONICUS Cathedralis Cracovienſis Conſiſtorii Generalis Surrogatus JUDEX, Univerſitatis Crac: RECTOR, & Librorum per Diæceſim CENSOR.

mpp.

MO-

M O N I T U M.

MEditationem Sancti Fundatores, variarum etiam Religionum, vel maximè suis commendarunt Religiosis, qvemadmodum S. JGNATIUS, adeò eandem suis præscribit Constitutionibus. ac si conservatio Societatis, à Meditatione & Oratione Mentali penderet. S. JOANNES CAPISTRANUS, scribens ad Gvardianum Novitiatus Nurembergensis, hanc ita commendat: *Placet mihi quidem, ut in cantu Novitij exerceantur, placeret autem magis, ut in Meditationis Exercitio perficiantur.* Undè etiam nostris per Provinciam Superioribus Conventuum salutariter commendatur: Qvotiescunque aliqva variandi, in Ecclesijs nostris consveti Cursus Officij intercedit occásio: ita providè devotionem disponant, nè unqvam, saltem unum qvadrantem Meditationis intermittant II. Prælegens Puncta Meditationis, diligenter prius inspiciat, qvid sit lecturus? utrum materiam super Evangelium Dominicæ, sive Feriæ currentis: utrum de Passione Domini, sive occurrenti aliqua Solemnitate, aut Festivitate. Undè præmittet dicens: Proponuntur Puncta ad Meditandum super Evangelium Dominicæ currentis; sive feriæ hodiernæ, ut habetur per Qvadragesimam, vel super Passionem Domini: aut super Evangelium Solemnitatis, vel Festivitatis hodiernæ. III. Legens Puncta Meditationum, clarè, distinctè, & quodlibet Punctum totum legat, ut materiæ propositæ, perfectus sensus completè percipiatur, & intellectus ad discutiendum sufficientem habeat materiam.

MEDI-



MEDITATIONES SACRÆ
A NOVO ANNO
Pro singulis Anni Hebdomadibus, ex currentis Evangelij textibus, per tria puncta depromptæ

IPSO FESTO NOVI ANNI AC CIRCUMCISIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI
Et sequentibus diebus, usqve ad Epiphaniam Domini. Evangelium.

Postquā consumāti sunt dies octo. Luc. 2.

Punctum I. Considera anima Religiosa, grande hodie revolvi negotium sæculorum, ubi millenarij, centeni, decades, ac tot denique, quot tuæ ætatis numeras annos, hesterni effluxus puncto consumati sunt, & quasi rapido fluminis impetu transierunt, nunquam amplius redituri. *Punctum II.* Cum decursis hactenus Annis, quod præcelsarum Virtutum Cedri Libani? qvot pleni gloria Hæroes, ad austrum, vel aquilonem, jam irrevocabili fato ceciderunt; tu miser, ac flexibilis in omnem flatum venti arundo, adhuc nescia fati stas, vide igitur quo cadas. *Punctum III.* Time & cura qvis qvis audis, ut qantocius hoc Anno seriò emendes, quæ retroactis temporibus malè egisti: priusqvam per viventem in sæcula sæculorum jurantis Angeli cesset clamor, quod etiam pro te: *Non erit amplius tempus.* Apocal. 10

Die

Die 2 Punctum I. Considera quot Annis, ex infinita sua misericordia, in hodiernum diem, patienter expectavit te ad pœnitentiam DEUS? quamvis per omne scelus dissolutum, ubi interea plurimi, cum minoribus longê peccatis jam ad pœnas æternas condemnati, sinè ulla spe veniæ crucientur. *Punctum II.* Cum novo Anno, nova cuiqve ineunda ratio, cum sua conscientia, ut per seriam vitæ emendationem, in novum hominem, sublatis veteris erroribus mutemini. *Punctum III.* Ad quid officiosa praxi, in apprecatoria novi Anni Vota diffundimur? si inveteratis sceleribus, ad ulciscendum in nos, Divinam Justitiam provocamus, immutanda inmelius vita, & quisque propitios in vota sua habebit Cœlos.

Die 3. Punctum I. Providus Paterfamilias, Mercator & Æconomus nunquam fructum ex bonis suis solâ cæcâ sorte tentat, sed diligenter curat, ut qvod uno amittit, altero fructuosè lucretur Mense vel Anno. Vide & tu, quantum retroactis temporibus, tuæ animæ intulisti damni & illud hoc Anno diligenter resarcire cura. *Punctum II.* In exordijs novi Anni, Romulea antiquitas, animando Concives suos, ad qværendam Victoriæ palmam, Olympiacos instituit cursus. Vos qui adusque in otio, & vitio torpebatis, invitantê Apostolô, pro decertanda hoc Anno Corona gloriæ: *Sic currite ut comprehendatis.* 1 Corint. 9. *Punctum III.* Cursus pro obtinenda triumphali palma, ad debitam præfigebatur metam, undè si qvis, retrorsum, vel ad partem claudicasset, non præmio, sed oprobrio dignus fuisset. Viderit

qvisqve, qvo tendat vitæ suæ cursu! nè retrocedens, aut in partes mandatorum Dei claudicans, à præfixa salutis suæ meta aberret.

Die 4. Punctum. I. Dies Novi Anni, dies simul est Circumcisionis Christi Salvatoris. Ut qvid qvid vitiorum, & pravæ consvetudinis, in te adusqve fuit, forti conatu à te rescindas, & indomitis passionibus, ac cupiditatibus, usqve ad Sangvinem viriliter resistas. *Punctum II.* Qvid prodest tibi Religiose, qvamvis penes Sacras ad Habitum inducias, abscindantur tibi capilli, si effrenes non circumcidas passiones, vitiosos non eradices habitus, quos freqventi iteratione malorum actuum in te causasti. Videamus itaqve, etiam post multos Professionis nostræ annos, nè simus ad portandûm svave jugum Domini, *Duræ cervicis*, & ad Frenandas noxias cupiditates: *Incircumcisis cordibus*, *Punctum III*, Grande amoris spectaculum, qvaliter Divinus Pusio, in sua dolorosa Circumcisione, primum Sacrificium Deo Patri oblaturus, calentes lachrymas, nostri causa, pretioso suo misceat Sangvini: erubesce miser, qvod tantum amorem, amore non rependas, quia nedum Sangvinem & lachrymas tuo Salvatori, sed qvantumvis exiguam Mortificationem Religiosam, patienter eidem offerre detrectas.

Actor. 7.

Dies 5. Punctum. I. Considera, quod Christus Salvator, vix natus, jam hominibus præbens exemplum, non gloriam & commoditates hujus Mundi quæsivit; sed paupertatem abjectionem miserias, & dolorosam Sangvinis effusionem pati dignatus est: tu verò jam mul-

tis vivens annis, tantæ gratitudinis immemor, ſolos faſtus & honores, ac corpori tuo reqviris commoda. *Punctum II.* Ille qvi nec originale, nec actuale peccatum habuit, neqve habere potuit, duræ tamen Legi Circumciſionis ſubjici paſſus eſt: ve nobis! qvi tam originali, qvam actuali labe peccatorum ſepiſſimè inqvinamur, & tamen medicinale remedium ſpiritualis circumciſionis non qværimus, ut peccata & eorundem occaſiones reſcindamus. *Punctum III.* O! Dive Parvule amor ſæculorum, dum te audio in Stabulo Bethleemitico amoroſè plorantem, nolo amplius ſequi Mundum tripudiantem, ſed oro da gratiam, ut pænitentes lachrymæ, ſint mihi panes die ac nocte, qvibus famelicam animam meam nutriam, donec pervenire merear ad felicia gaudia Electorum tuorum.

IN FESTO SANCTORUM TRIUM REGUM.

Evangelium. *Cùm natus eſſet JESUS in Bethleem Juda. Math:* 2.

Punctum I. Conſidera magnam in Sanctis tribus Regibus Promptitudinem, qvod ad novam Cæleſtis Stellæ apparitionem, relictis ſuis Regnis, ſinè mora, Orbis Salvatorem Neonatum qværere, in Judæam ſint profecti: tu verò ad tantas Cæleſtium gratiarum irradiationes, vocantem te ad perfectiora Deum contemnas & negligas. *Punctum II.* Sancti Monarchæ, non qværendo di-

gnitati suæ debitas commoditates, intra paucos dies, prompto animo longinqvum iter perfecerunt: tu autem pauper Religiosus, in Servitio Dei, pro principali tuas qværis commoditates, nec aliter amore Dei vis tuo Officio satisfacere, priusqvam tuis satisfiat particularitatibus. *Punctum III.* Sancti Viatores, Herodem Regem intrepido animo, de Neonato Rege interrogant; ex quo discamus nihil metuere qvascunqve Mundi potestates, ubi de qværendo Dei honore, & salute animæ nostræ agitur.

Die 2. infra Octavam Punctum I. Considera qvod Stella Magorum ductrix, postqvam ad Herodem divertissent, disparuit: ex qvo Cælesti signo disce, subtrahi tibi Divinas ad bonum, mentis illustrationes, si malitiosè ad latibula, ubi Deum offendere consveveras reverti non erubueris. *Punct. II.* Magna & miranda profectò in Sanctis Regibus devotio, qvod Christum in vili Stabulo proni adoraverint: sed stupenda magis in nobis præsumptio, dum coram eodem DEO, Salvatore, ac futuro Judice, in Sanctissimo Altaris Sacramento præsente, sinè ulla devotione, & debito tantæ Majestati cultu, qvotidie compareamus. *Punct. III.* Qvis imaginetur sufficienter? qvantum Sanctissimæ Matri fuit solamen, dum vidit dilectum Filium suum â tribus Regibus supliciter adorari, qvem pauló ante gementem, inter bovem & asinum reclinaverat in præsepio: par eidem solatium, & cultum præstabis Deo, si sensuales in te inclinationes & vitiosos appetitus, sub imperium Spiritus redegeris.

Die

Die 3. *Punct. I.* Confidera qvaliter Sancti Reges, pro fublevanda paupertate Sacræ Familiæ, de thefauris fuis Aurum, piâ liberalitate obtulerint: tu verò, illi qvi à te reqvirit: *Filij præbe mihi cor tuum*, prompto animo hoc eidem offer & pretiofius omni auro munus obtulifti. *Punct. II.* Aurum myfticè, pretiofam denotat innocentiam; tibi cui ex Voto paupertatis, deeft Aurum, cura ut habeas, & offeras, cordis tui innocentiam, & hæc aurea Deo oblatio. *Punct. III.* Auro præterea fignabatur Regia Chrifti poteftas: ftude innocenter vivere, & fic tota vita tua in Chrifto Salvatore, Regiam poteftatem adorabis. Prover. 23

Die 4. *Punct. I.* Obtulerunt Magi Thus, Chrifto Salvatori, per qvod fignabant adorandam ejus Divinitatem: idem munus offeres, quotiefcunque devotas Orationes tuas, ficut incenfum præmiferis in confpectum Domini. *Punct. II.* Non offers, fed facrilegè furripis debita Deo thura: dum coram Throno fuæ Majeftatis, diftractè indevotè, ore folo non corde tuas perfolvis Orationes. *Punctum III.* Incenfum nullum efficit odorem, fi non fupra ignitos carbones mittatur, ita opportet devota præparatione, & igne amoris Divini cor tuum prius fuccendas, & fic Orationes tuæ, odore incenfi, acceptabiles erunt in confpectu Altiffimi.

Die 5. *Punct. I.* Sancti tres Reges, obtulerunt Neonato Salvatori Myrham, per qvam defignabatur, humanæ ejus naturæ mortalitas: nos verò toties impiè negamus humanam na-

turam in Christo, qvoties eidem Religiosæ mortificationis myrham offerre detrectamus. *Punct. II.* Myrhâ corpora mortuorum à corruptione præservantur: Mortificatione verò, Animæ: in vigore spiritualis profectus conservantur: gratam Cælo oblationem facies, si majorem impenderis curam, in ornanda Virtutibus anima, perpetuò victura, qvam in fovenda carne brevi moritura. *Punct. III.* Sponsa Cælestis, affectuosè Dilectum suum, fasciculum myrhæ appellat; ut piâ æmulationê, nullus fugiat, sed quisqve studiosè fascem mortificationum accumulet, si charus Cælo esse velit.

Die 6. Punct. I. Considera qvaliter Sancti tres Magi, postqvam Christum Salvatorem in præsepio supliciter adorassent, per aliam viam redire in patriam jubentur: talis & omnium nostrum obligatio, dum facti pænitentes, scelera nostra ad pedes JESU detestamur, nè amplius vias pravas per qvas ambulavimus repetamus. *Punct. II.* In Professione Religiosa qvis qvis audis, nonne pretiosa munera Deo obtulisti? Paupertatis Castitatis Obedientiæ; sed coram Cælo & terra erubesce, si semel Deo oblata, denuò ad profanos usus surripere non exhorrescas. *Punct. III.* Pari beneficio prælucens Stella reduxit Sanctos Reges ad propria, sicut eosdem ad præsepium adduxerat, qvia juxta mandatum Angeli, alia via profecti sunt: Obtemperandum est diligenter, monitionibus Divinis, ut in progressu virtutum, fulgore Cælestis gratiæ constanter illustremur.

Die 7.

Die 7. Punct. I. Sancti tres Reges, poſtqvam Chriſtum Salvatorem in Præſepio adoraſſent, redire ad Herodem prohibentur: cave & tu, nè genua, qvæ in adoream Deo tuo inclinaſti, eadem coram profano Mundi Idolo adulatoriè flectas. *Punct. II.* Aſtuta ſimulatione Herodes, Chriſti cultores, ad ſe invitavit, mentem ſuam futura mox crudelitate, qvid intenderit proditurus: dura qvemlibet expectat tyrannis, ſi à Servitio Dei, ad Mundanas vanitates, retrahi ſe permiſerit. *Punct. III.* Sancti tres Magi, ut Cæleſti mandato obtemperent, juſſa Herodis Regis contemnunt: confundere hic, & conſcientiam reflecte, qvoties propter reſpectum hominum, inſtinctus Divinos, Præcepta Legis. & Regulæ contempſiſti? ac inpoſterum meliora propone.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Evangelium. *Cùm factus eſſet JESUS annorum duodecim. Lucæ* 2.

Punct. I. CONſidera qvaliter Chriſtus Dominus, teſte hodierno Evangelio, aſcendebat ad Templum, juxta conſvetudinem diei Feſti, ut nobis præberet exemplum, qvod non raro, incidenter, & coactè, ſed prompto animo, hilariter & devotè, ad Laudes Divinas properare debeamus: tu verò bone Religioſe, vide Chorum, qvàm habeas charum? qvantaqve cum devotione & fervore, tam diurnum, qvam nocturnum Officium

Divinum abfolvas? *Punct. II.* Vadis fortè ad Chorum, qvia debes, aut pænam times, fed ubi eft amoris ftimulus? qvi te commonere debet, qvod ad hoc creatus fis, ut Deum laudes, & eidem ferviendo falvus fias: fi ergo malè fervis, qvare benè remunerari fperas!
3 Reg 10 *Punct. III.* Regina Sabba, beatos dixit Servos, qvi aftabant qvotidie coram Rege Sa-
Math.12 lomone, *Ecce plus hic qvam Salomon*, & qvare tuæ beatitudinis fortem non appretias, ut omni devotione & conatu Deo viventi, die noctuq; fervias?

Poft hanc Dominicam, continuentur Puncta Octavæ Epiphaniæ Domini: poft Octavam verò reafumantur ad legendum Puncta feriarum, ut infra, Dominicæ currentis.

Punct I. Feria II. Duodecim folummodò annorum Chriftum Dominum fuiffe, Evangelifta commemorat, & jam confvetò in hac tenera ætate, in Templum afcenderat Patrem æternum laudaturus: Nos qvi in Juvenili ætate, fervire Deo neglreximus, his qvibus fruimur provectioribus annis, omni conatu, ferventiqve corde fupleamus. *Punct. II.* Felicem qvi Domino, feliciorem qvi Principi Feliciffimum qvi Regi fervit æftimamus: aft qvàm longè felicior qvi Regi Regum. & Domino Dominantium famulatur, cui fervire, jam hoc ipfo Regnare eft: vide itaqve nè piger fis, & negligens, in tanto Dei tui Servitio. *Punct. III.* Choralis & alternatus Divinæ laudis cantus, jam Cæleftem in terris Harmoniam præfefert, ubi Seraphim alter ad alterum trifagium Sanctus Sanctus ingeminabant,

nabant, sine intermissione: Signum est, qvod Cælestis Chori consortio, non merearis annumerari, qvi te in terris à Choralibus subtrahis officijs.

FEria. 3. Punct. I. Qvis oro Dominus vel Princeps, talem Servum tolerat, qvi non Domino, sed potiùs suis privatis negotijs intendat; pudor est Servo Dei, dum pulsu vel signo, invitatur ad famulandum Altissimo, hic tamen non gloriam Dei, sed qvæ sua sunt qværit. *Punct. II.* Dignum pæna committit furtum Servus, qvi etsi parum, freqventer tamen surripit ex bonis Domini sui: debitum Laudis Divinæ, & satisfactorium pro peccatis fidelium, persolvimus Censum absolutione Canonici Officij, qvot ergo non integre profers literas, voces, & syllabas, tot crede hic vel in Purgatorio luendas contrahis culpas, *Punct. III.* Increpat & execratur Deus Orationem solo ore prolatam, dicens per Prophetam: *Hic populus labijs me honorat* Isai. 29.
cor eorum autem longe est à me: qvi ergo ex tota anima & viribus, amare ac colere Deum obligamur, laudemus ipsum cordē amore pleno, & simul Orē consonantia vocis, & integerrima Verborum expressione.

FEria. 4. Punct. I. Magnum Religiosæ occupationis exemplar Christus Salvator, qvem Sanctissima ejus Mater, *invenit in medio Doctorum, legentem, audientem, & interrogantem eos.* Luc. 2.
Nam qvi non valemus imbecillitate conditionis nostræ, continuò Orationi vacare, qvod superest temporis, impendamus fructuosè lectioni Sacræ Scripturæ ac Doctorum, & sic

juxta

juxta S. Augustinum: Semper Orabis si semper devotè in laudem Dei tempus impenderis. *Punct. II.* Postqvam mæsti Parentes invenissent Christum, post triduum in Templo, dicit Mater ad eum: *Filij qvid fecisti nobis sic?* Nè glorieris Religiose, qvod cum cæteris Fratribus è Templo eggredi videaris, sed interoga conscientiam tuam: *Filij qvid fecisti?* & certè freqventer reperies, qvod tantum corporêfueris in Choro, corde verò in foro gestus immodesti inclinationes irregulatæ, omnia deniqve facta tua non laudem Dei, sed desidiam solam spirantia. *Punct. III.* Dolentem se fatetur Sanctissima Mater, in amissione dilecti ac unici Filij; *Dolentes qværebamus te.* O! Religiosæ animæ, non otium & vitium, sed cum maxima cordis anxietate JESUM qværite, cum eoqve diebus & noctibus dulcia Spiritus solatia fovete.

FEria 5. Punct. I. Considera, cum qvanta cordis anxietate Sanctissima Mater, qvæsiverit dilectum Filium suum, ignorans qvod remansisset in Templo: Qvantum nos indè oportet confundi? qvi scimus Christum Salvatorem sub Eucharisticis speciebus commorari in Ecclesijs, ipsum tamen non solùm, anxiè non qverimus, qvinimò ad qværendum comminatoriè à Superioribus compelli debemus. *Punct. II.* Christus Salvator noster, sinè ulla culpa Parentum, qvasi amissus remansit, in Templo: Nostra verò malitiâ sepè accidit, qvod hunc omnis gratiæ Authorem, toties amittimus, qvoties illa, qvæ Mundi carnis, & Dæmonis sunt sensualiter

ter qværimus? *Punct. III.* Confidera qvanto cum gaudio, Sancti Parentes. dilectum Filium fuum JESUM poft triduum invenerint in Templo: Qværas & tu JESUM, ita ut invenias, & tunc plus corde fenties, qvam ore exprimere fufficies, qvid fit manere & deliciari cum JESU.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Evangelium. *Nuptiæ factæ funt in Cana Galileæ. Ioan. 2.*

Punct. I. CONfidera manifeftam hujus Mundi fallaciam, doctrinâ hodierni Evangelij: cùm enim turba amicorum, invitati fuiffent ad Nuptias, ubi pleniori folatio, lætari debuiffent Convivæ, hilares animos, mæftus perturbat nuntius. *Vinum non habent.* Hac folita praxi fallax Mundus, blanda promittit folatia, fed paulò poft affeclas fuos, funefta replet amaritudine. *Punctum. II.* Si qvifpiam Monachorum aut ignarus Mundi fvavitatum, aliqvis Eremita dixiffet: *Vanitas vanitatum & omnia Vanitas.* justa reprehendi poffet animadverfione, qvod Ecclesi. 1.
fuum de ignotis ferat judicium; fed in folio gloriæ, & in plena omnium fæculi voluptatum dulcedine, conftitutus Rex Salomon, hocce enuntiat oraculum: qvifqve ergo videat, qvam vana fint & inftabilia Mundi folatia? *Punct. III.* Qvot miferi Jonathæ, degustata venenofa Mundi dulcedine, æternum perierunt, amaro cum fingultu ingemifcentes:

tes: *Gustans gustavi paululum melis & ecce mo-*
1. Reg. 14. *rior:* Cave ergo Religiosa anima, cautior alie-
no periculo, ab hoc dulci veneno, cum te
Deus in Sacra Religione veris ac Cælestibus
delicijs pascat, & soletur.

FEriæ. II. Punct. I. Christus Dominus Nu-
ptijs Cana Galileæ adesse dignatus est, ut
Statum Matrimonialem, utpotè ad dignita-
tem Sacramentalem evectum honoraret: Sed
tamen Sponsum Nuptiarum, ad Mundi con-
temptum, & sui seqvelam, vocavit; ut palam
ostenderet, feliciorem ac perfectiorem Sta-
tum Religiosum: Videamus Fratres, qvanta
sit nostra felicitas, & miserentis Dei benigni-
tas, dum nos de fluctivaga Mundi tempestate
evocavit, ad hunc securum Salutis portum
Sacerrimæ Religionis. *Punct. II.* Christus
Salvator in Nuptijs Cana Galileæ, aqvam
mirabiliter convertit in Vinum; ut ostende-
ret, qvemadmodum aqva, est simplex clarum
& lympidum elementum, ita humano usui, ac
sanitati maximè congruum: Vinum autem li-
cet in suo genere sit potus præstans, suas ta-
men habet fæces, esto gustui sapiat, capiti
tamen sepè nocet. & in corpore humano, va-
rias causat infirmitates. Ita Status Spiri-
tualis, est purus & simplex, sinè admixtione
iniqvitatum, qvietus, pacificus. Mundo com-
mendabilis, Deo & Cælitibus amabilis: E con-
tra verò, Status Matrimonialis, plurimas ha-
bet fæces admixtas miseriarum, cordi & ca-
piti mille causans inqvietitudines. O! qvan-
tas Deo tenemur grates: qvod nos misericor-
diter ab his onerosis molestijs, liberaverit.
Punct. III.

Punct. III. Vinum illud mirabiliter ex aqva conversum, creditur fuisse rubrum, uti suo Hymno canit Ecclesia: *Aqvæ rubescunt hydriæ*: qvia solatia Status Matrimonialis, sepè Sangvine rubricanda; felix Status Religiosus, cui concessum est hæc gravamina admirari, non verò practicari!

Feria 3. *Punct. I.* Mundus suos seqvaces decipit, promissione, aut oblatione Divitiarum, qvæ nihil aliud sunt, qvam purum putumq; opinionis humanæ commentum, qvid est enim naturâ suâ aurum, nisi terra rubra, qvid uniones, nisi prognatus in conchylibus, vilis tonitrui sudor, una parte Orbis æstimatus, altera vilipensus. Pretium autem Virtutis, è contra sicut tempore æstimabile, ita & ipsa æternitate durabile. Optimam itaqve partem eligit, qvi non corruptibiles Mundi divitias, sed in Sacra Religione, Virtutes æternum duraturas comparat. *Punct. II.* Possidens Mundi Divitias, vix reperitur, qvi habeat satis, sed anxia inqvietudine, die noctuqve cor præmente, cum Myda cupido, qvid qvid tetigerit, aurum esse volet. Ab hac cordis laniena alieni sunt Servi Dei, qvi prætiosa paupertate Status sui contenti, feliciori sorte vivunt, nihil habentes, & omnia possidentes. *Punct. III.* Si unus reperiatur ex mille, plura qvam habeat anxiè non appetens, certò tamen illa qvæ possidet, continuò metuit, nè adverso casu amittat, ut sic coacervatis opibus, cum divite Epulone, qvam diutissimè frui posset: sed ecce hora qva non sperabat, pereuntibus bonis, anima sepeli- Luc. 16.

tur

tur in Inferno. Congratulemur nobis, qvod illas Divitias, qvæ Religioſo conatu comparamus, neqve fures effodiunt, neqve tinea corrumpit, ſed ſimul permanebunt cum vita æterna.

FEria. 4. *Punct. I.* Mundus ſuis ſeqvacibus promittit Honores, ſed nonè ſub Regalibus Coronis, qværuloſi audiuntur gemitus: *Tollat qui non novit.* non nè Pontificiæ Tyaræ, Imperialia Diademata, Ducales Mitræ, eouſqve animum, crudelibus puncturis lacerant, qvod ſepènumerò ejuſmodi dignitatum inſignia, tranqvillitatem mentis qvæſituri, libenter pro Religioſo commutarunt Caputio. Ecce tu poſſides, qvod iſti anxiè qvæſiverunt. *Punct. II.* Si officioſè vis tueri honorem, mille conſtat incommodis, nam ſublimaris in altum, ut fortè lapſu graviore ruas; unus ex pluribus, in meta præferentiæ collocaris, non tàm ut occuli intuentium, qvam jacula invidentium in te figantur: multos numerabis Servos, ſed plures, qvibus ipſe ſervire obligaris, verbô honos, & onus, una tantum vel altera differt litera. *Punct. III.* Qvi verò conſcientioſè Prælationis Officium ſuſtinet, Sapien. 6. cominationem Dei antè occulos habet *Qvod duriſſimum ijs qui præſunt reſtat Iudicium*, non enim pro ſuis tantum delictis, ſed & pro ſubditis curæ ſuæ ſubjectis, ſtrictam redituri ſunt rationem: qvam ob cauſam Leo Papa XI. ſepè repetebat: *Melius fuiſſet mihi, ſi Monaſterij quam Cæli claves tenuiſſem.* Talem occaſionem ambitus, à Religioſis mentibus Sanctus Noſter Patriarcha FRANCISCUS reſcidit, qvi

Nos Voto Professionis, qvibusvis minimis, adhuc Minores esse, & appellari voluit: vide nè inanni fastu Major esse cupias.

FEria, 5. Punct. I. Mundus suis seqvacibus offert commoditates, & oblectamenta corporis, sed qvàm indigna hominè promissio? cùm enim sensus corporis sint animales, non minus corpus subest Spiritui, qvàm Jumentum Domino: dum itaqve Mundus, Sensualitati offert commoda, signum est, qvod solùm vile jumentum pascere intendat, & nihil habet qvod offerat Domino suo: ergo dominante hominis judicio, respuenda tam vilis Mundi promissio. *Punct. II.* Corpus animæ, capitalis habetur inimicus, dicente Apostolo: *Corpus aggravat animam: & concupiscit adversus Spiritum:* dum itaqve commoditatibus Mundus fovet corpus, qvid aliud facit? qvam rebellem Spiritui hostem nutrit. *Punct. III.* Articulus Fidei habetur, qvod non aliter, *Nisi per magnas tribulationes opportet nos introire in Regnum Dei:* cùm itaqve Mundus suis seqvacibus offerat corporis commoditates & oblèctamenta, vide qvam astuta deceptione, per temporales prosperitates, intendat nos, æterna felicitate privare, videte nè ab hoc inimico, blanditijs seducamini deceptorijs.

ad Galat. 5.

Actor. 14.

FEria 6. Punct. I. Considera, qvaliter Christus Dominus, ab Anno duodecimo Doctrinæ suæ in Templo, incognitus ferè Mundo, in domo Parentum delituerit, usqve ad annum trigesimum, nihil plus de eo commemorante Evangelio, qvam qvod *fuerit Subditus illis.* Christi hæroicam immitaberis Virtutem, estò pluri-

pluribus annis, nihil famosi de te palam æstimatum fuerit; dummodo privata subjectione Superioribus tuis, Obedientissimus esse studueris. *Punct. II.* Imaginaberis fortè, qvàm uberem fructum Christus Dominus fecisset, si gentes & populos, miraculis & prædicatione, ab ipso anno duodecimo illustrare, ac erudire cepisset? verùm estò sint abyssus judicia operum Dei, ad profectum tamen nostrum Spiritualem S. Augustinus, hanc indè erruit Doctrinam: ut prius nostram propriam salutem, qvàm aliorum qværamus, prius illuminari, qvàm illuminare alios, calefieri, ignê amoris Divini, qvam alios calefacere sattagamus;
Math. 16 memores, nihil nobis prodesse, *& si quis Mundum universum lucretur, animæ verò Suæ detrimentum patiatur.* *Punct. III.* Christus Dominus qvamvis per omnes annos Sanctissimæ vitæ suæ privatæ, non legatur fecisse miracula, omne tamen instans Vitæ ejusdem, maximi fuit meriti pro genere humano, apud Patrem æternum. Ex qvo disce, quamvis te Deus non vocet, ad publica opera gloriæ suæ, in humili tamen tui metipsiùs annihilatione, & Regulæ Sanctæ observatione, studeas vivere qvam perfectissimè, & ita humilis, exaltaberis in gloria.

Sabbatho Punct. I. Magna Sanctissimæ Matris, erga Convivas Nuptiales commiseratio, qvæ cum vidisset, qvod cum pudore Sponsi deficiat Vinum, rogavit dilectum Filium suum, pro sublevanda inopum ægestate. Hæc enim MARIÆ est benignitas dicente Bernardo: *Quod etiam non rogata succurat miseris.* Tutamen

men in omnibus necessitatibus tuis, recurre ad hanc clementissimam Matrem, & dulce solatium ac benignum ipsius senties auxilium. *Punct. II.* Potestatem MARIÆ metiri debemus, ex Dignitate Maternitatis Dei, & è bonitate Filij hanc suam dilectam Matrem amantis; plurimùm itaqve in Votis, & negotio salutis nostræ, potestas MARIÆ valet, cui amore Filiali Christus, nihil negare potest. *Punct. III.* Teste Sancto Jgnatio Martyre: *Nunqvam malè peribit, qvi Genitrici Virgini devotus extiterit.* Nè tamen existimes te esse devotum MARIÆ Servum, si Christo ejus Filio, sis inimicus?

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Evangelium. *Cùm descendisset JESUS de monte. Math. 8.*

Punct. I. Considera qvaliter Christus Dominus mundans Leprosum, præceperit ei, ut se præsentet sinè mora Sacerdoti: Ex qvo disce, nè tuæ lepræ Spiritualis, differas sanationem, sed qvantociùs pro Sacramentali curatione recurras ad Sacerdotem, postqvam senseris animam tuam hac mortifera peste infectam. *Punct. II.* Libenter habemus, mundam faciem, puras manus, nitidas vestes munditiem in cibo potu Mensa, Conventu, ac Horto, & qvare negligas, si labe peccatorum, coinqvines conscientiam, qvæ tali statu est DEO & Cælitibus abominabilis, ut eandem sinè mora Confessione Sacramen-

cramentali purifices? *Punct. III.* Magna est illa erga peccatores, miserentis Dei dignatio, qvod sepè non tantam in sanando corpore, qvam in curanda anima habeamus facilitatem: sed scito, sicut non sanatur perfectè corpus, nisi prius internè morbi curetur radix & occasio: ita Confessione peccatorum externa, non sanabis Animam mortifera lue infectam, nisi prius internas ad peccatum affectiones radicitus elimines, sanes, & rescindas: Vide itaqve seriò, qvales tuæ Confessiones?

FEria 2. Punct. I. Leprosus ille Evangelicus, Oravit Christum Dominum pro recuperanda sanitate, & morbi sui curatione, qvod etiam gratiosè à Cælesti Medico obtinuit. Jam verò Animæ nostræ curatio difficilis, si eam non qværamus: difficilior, si in peccandi consvetudine hæreamus, difficillima & ferè desperata, si in eadem sibi complaceamus. Seriò hic Conscientiam tuam reflecte, in qvonam statu, ex his tribus existas? *Punct. II.* Consvetudo peccandi, est catena iniqvitatis, qvæ captivam tenens animam, reddit ipsam mancipium sceleris, obscurat cognitionem boni, indurat cor, tollit pudorem, & sopit à remorsu conscientiam, ut non facilè ad statum gratiæ aspiret. O! grandis, talis Status infelicitas. *Punct. III.* Peccator tandem, complacens sibi in peccato infelicissimus: qvia scelera ejus transeunt in naturam, & natura in necessitatem, ubi jam amplius suam miseriam non agnoscit, undè nec potest ipsam odisse: cum delectatione qværit perseverare in malo, undè nec potest velle liberari: gratia Dei

Dei cor tale, sinè fructu aggreditur, qvia factum est ad motus ipsius insensibile, & ad Sagittarum ictus impenetrabile, O! malum omni malo pessimum, vidè & cave nè hoc obruaris.

FEria 3. *Punct. I.* Considera qvam felix fuerit ille Evangelicus Centurio, qvi habens sub se Milites, tam exacto eosdem regulamine instituerit, qvod ad nutum sui mandati, cui dixit *Vade jam vadit, Veni & venit, fac hoc, & facit:* qvapropter Christus Dominus, suâ Divinâ præsentia dignatus fuit Domum ejus visitare, & puerum ab infirmitate sanare, qvamvis alias rogatus, ad Domum Reguli condescendere recusaverit: Qvia hæc Domus & Familia Christo charissima; ubi Subditorum erga suos Superiores, Obedientia servatur exactissima. *Punct. II.* Qvis non miretur? qvod Miles exactè suo obediat Officiali, Servus Domino. Opifex Principali, ipsum expers rationis jumentum, nexum jugo, non pro suo, sed pro libitu incedit Aurigæ. Qvam ergo indigna Religiosi nominis Familia, ubi Christi Milites, mandatis sui Principalis Obedire detrectant: alligati jugo Sanctæ Obedientiæ, non qvo superiorum, sed qvo propria ducit voluntas, perniciosè incedere volunt? *Punct. III:* De Fide est, Christi merita ab instanti Sanctissimæ suæ Incarnationis, fuisse valoris infiniti, omnibusqve Virtutibus & donis, in summo perfectionis gradu excelluit, qvia fuit simul Deus & Homo: Attamen S. Paulus, solius Obedientiæ Meritum in tantum extollit in ipso, dicens: *qvod propter illud Pater æternus exaltavit illum, & dedit illi*

Math 8.

ad Phil. 2.

Nomen, quod est super omne nomen, subditqve Bernardus: Christi Nominis exaltationem esse Obedientiæ remunerationem. Nè speres per alia merita & tu, exaltari in gloria, nisi simul perfectè Obedire didiceris.

FEria 4. *Punct. I.* Generoso Militari animo, Evangelici Centurionis, videtur simul juncta Virtus magna Humilitatis, nam profunda animi submissione, confitetur Christo Salvatori: *quod non sit dignus, ut intret sub tectum ipsius*: Hæc est præcellens, etiam Religiosæ perfectionis Virtus, dum quis qvantumlibet in donis gratiæ sive naturæ excellat, maxima tamen animi demissione, hoc solùm
Math 8. de se fatetur: *Non sum dignus. Punct. II.* Arbores cum multo fructu onustæ fuerint, inclinant ramos, ut subindè etiam frangantur, qui autem ramus, nullum fructum habet, in altum attollitur & rectus assurgit; Ita cui plus de Divinis charismatibus concessum est, magis humiliari debet, qvia plus qvoqve exigetur ab eo; qvi autem superbum caput tollit in altum, signum est qvod *aruerit sicut testea virtus ejus*, non solum fructu bonorum operum, sed etiam viriditate ac vigore bonarum propensionum carens. *Punct. III.* Tres gradus perfectæ Humilitatis S. Bonaventura commemorat: *Primus*: Ut homo agnoscat se esse vilem, infirmum peccatorem, & omni laude hominum indignum. *Secundus.* Ut non solùm ex vili sui notitia se spernat, sed etiam ab alijs sperni & postponi, patienter toleret. *Tertius.* Ut propter Virtutes qvantumvis præcellentes, & dona ac honores, non extollatur,

Psal. 21 (margin note beside "lit in altum")

sed

ſed totum reffundat in Deum, à quo omne bonum procedit. Vide ſi in aliquo ex his gradu, veræ Humilitatis exiſtas, & ad hos anxiè aſpira.

FEria 5. Punct. I. Centurio Evangelicus, præter cæteras eximias Virtutes, videtur etiam excelluiſſe, in Charitate erga infirmos, nam cum magno affectu rogavit Chriſtum Dominum pro ſanatione pueri. Diſcamus imitari hanc Virtutem charitatis, qvi aliunde Votô, & mandato Sancti Patriarchæ tenemur ſervire infirmis, ſicut vellemus nobiſmetipſis ſerviri. *Punct. II.* Sanctus Bonaventura Seraphicam excitat charitatem, erga infirmos dicens: *Si Chriſtum neglexerimus viſitare in cœno, non habebimus ipſum in Cælo, nam ipſe dixit: Infirmus eram & non viſitaſtis me, diſcedite igitur à me in ignem æternum.* Nè itaqve à Regno Cælorum miſer excludaris, miſeris compatere, Fraternè juva, & qvid qvid poteris charitativa teneritudine ſubveni. *Punct. III.* Idem Seraphicus Noſter Doctor, ſuper anxietates Sponſæ Cæleſtis, qværentis Sponſum: *Ubi* Cant. 1. *paſcat ubi cubet in meridie?* ita reſpondet: Cur, o! anima tota die anxiaris poſt Chriſtum? indicabo tibi quem diligit anima tua, certè in Infirmaria jacet, & ibi anguſtiatur, ibi torqvetur, curre ergo illuc, & illi miniſtra, ac compatere infirmitati. Digna tanto Præceptore doctrina, quam ſeqventes, cum ſolatio Spiritus, ſæpè Chriſtum in Infirmis viſitemus, & qvod uni ex his minimis fecerimus, certè pro facto eidem in præmio recipiemus.

FEria. 6. Punct. I. Admiratus fidem Centu-

rionis Christus quam non viderat in electa Gente Judæorum, deplorandam Filijs defectionem, ab hæreditate Cælesti prædixit inqviens: *Multi venient ab Oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Filij autem Regni ejicientur foras.* Considera hic infelicissimam illorum sortem, qvi estò per gratiam Baptismi, aqvisiverint jus ad hæreditatem æternam, quia tamen actualibus peccatis, eandem amittunt, indè fit, qvod sicut Jacob, præripuit jus primogenituræ, Esau: ita nobis exclusis, multi Gentiles & Hæretici, præcedent nos in Regnum Dei. *Punct. II.* Scriptura Sacra refert: postquam Esau in se reversus vidisset, qvaliter pro exiguo gustus oblectamento, jus primogenituræ Fratri vendidisset, non flevit, sed rugijt inconsolabiliter. Pariformi rugitu & ejulatu, in Dei Judicio, deplorabunt sortem suam mali Religiosi, videntes multos Sæculares, præripientes ipsis jus ad Regnum Dei, postquam contemptis tot gratijs, non quæ Regula Sacra præscripsit, sed quod sensualitas dictabat, sectati sunt. *Punct. III.* Qvis non contremiscat seriò considerans? tantam in negotio Salutis vicissitudinem: nam illas Cælestium Sedium ruinas, unde Apostatæ Angeli exciderunt, misericorditer Deus, implet hominibus: locô Judæorum in electum populum, successit Gentilitas: postqvam defecisset à Sancta fide, Germania, conversa fuit India: excidit à gratia Apostolatus Judas, suffectus est Mathias: Ita crede quis quis audis, nisi seriò incumbas negotio salutis, expunget te Deus, de loco ac numero salvan-


Math. 8

Genes. 27

dorum

dorum & fortem felicitatis tuæ accipiet alter.

Sabbatho. Punct. I. Confidera qvaliter abjecti à Regno Cælorum, ut ipfe Chriftus fatetur: *Detrudentur in tenebras exteriores ubi erit fletus & ftridor dentium.* Math. 8. ex qvo patet, adultis, nullum dari medium, fed vel æternum felices, vel in terra miferiæ & tenebrarum, ubi fempiternus horror inhabitat, futuros infelices. Quoufque autem vivis, in medio verfaris, nam fupra caput tuum ftellatum micat Cælum: infra pedes, rugiens ad devorandum te fremit Infernus? elige quod vis! *Punct. II.* Memineris, fi qua nocte vel hora paffus fis graves capitis vel dentium dolores, qvam prolixum tibi finè reqvie tempus videbatur? fed quid in hac vita, patiente uno membro, non patitur aliud, nam dolet manus, fed pes non fentit, affligitur caput, fed cor eft fanum: in ardoribus verò illis fempiternis, finè momento quietis, unumqvodque membrum, fuum proprium patietur tormentum. Mortificate itaque membra veftra dum tempus habetis falubriter, nè pæniterc cogamini, abjecti â facie Domini æternaliter. *Punct. III.* Obfervate monitum Prophetæ: *Ut viventes defcendatis in Infernum, nè forte illuc morientes detrudamini.* Pfalm. 54. Ardores illi fint vivaciter impreffi memoriæ veftræ, quoufque vivitis, nê eofdem poft mortem experiri cogamini: præfentis vitæ leves moleftias & momentaneas, patienter fuftinete, ut illa tormenta æterna evadatis: fit vobis tolerabilior in hac vita Caminus cujufcunqve tribulationis, qvam in futura clibanus gehennæ, & æternæ maledictionis.



DOMINICA IIII. POST EPIPHANIAM.

Evangelium. *Ascendit IESUS in Naviculam. Math. 8.*

Punct. I. CONsidera, qvod hodiernum reffert Evangelium: *Postqvam Christus Dominus, cum Apostolis ascendisset in Naviculam motus magnus factus est in Mari:* Nam Mundus immundus, qvam primùm videt segregari Servos Christi, in Naviculam vitæ Solitariæ, omnes tumentes fluctus variarum tentationum excitat, quibus eosdem, si non mergat, saltem à proposito cum Christo manendi deterreat:
Eccles 2 undè præmonet Propheta: *Fili accedens ad Servitutem Dei; præpara animam tuam ad tentationem. Punct. II.* Qvamvis conditione sta-
Iob. 7 tûs lapsi: *Tentatio sit vita hominis super terram,* hæc tamen tentationum jacula, fortius Dæmon vibrat in electos Dei Servos, quàm in illos, qui suis cupiditatibus serviunt: nam invidet ipsis felicitatem amicitiæ Dei, præcellens animæ Sanctuarium, futuram Cælestis patriæ possessionem: & vellet ipse possidere animam, habere Sociam damnationis, ac perire in ea fructum Passionis Christi. Armamini igitur Servi Dei, & estote fortes, contra inimicos Mundi, carnis, & Dæmonis insultus. *Punct. III.* Qvotiescunque Mundus, caro, & Dæmon, tentationum, ac tribulationum contra nos excitat procellas, nullus concidat animô, sed gaudeat offerri sibi occasionem, qvâ Virtutem exercere, & præmia Cælestis Patriæ accu-

accumulare possit: ad hoc enim vivimus ut tentationum victorijs, beatam nobis gloriam mereamur. *Præliemur* itaque *viriliter prælia Domini*, & brachium Sanctum ejus relevabit nos, cum ignominia inimicorum nostrorum. 1 Reg. 18.

FEria. 2. *Punct. I*, Considera, qualiter Navicula, in qua Christus cum Apostolis manebat in Mari, tam gravem passa sit tempestatem, *ut pené operiretur fluctibus*. S. Bernardus dicit: Religionem esse Naviculam, quâ animæ per procellosum Mare hujus Mundi, transvehuntur in securum salutis portum. Nè ergo existimemus Fratres, quod ad Sacram Religionem pro qviete vocati simus, & ut in otio torpescamus, sed totis velis, remisque laborandum, ut tumentes qvarumcunque tentationum fluctus superemus. *Punct. II.* Molestus Superior, persecutio à Fratribus, parcitas victus, cæteræque Religionis austeritates. quid sunt aliud? qvam procellosi, hujus spumantis sæculi fluctus, sed qvia cum Christo in navi manes, memento, hæc tibi omnia ex professo patienter toleranda, non verò fugienda. *Punctum III.* Fluctuante Christi navicula in Mari, stantes in terra, feliciores qvis fortè existimasset, sed immeritò, nam Electorum vita est plerumque miseriis, & erumnijs plena, qui non nisi per magnas tribulationes noverunt introire in Regnum Dei, multis tunsiònibus expoliti, tandem ædificio Cælestis Jerusalem adaptantur: è contra verò amatores sæculi, stant in terra, sed brevi casuri, in lætis hujus Mundi pascuis, tanquam Juvenci petulanter exultant, sed brevi ad macellum lanienæ

Inter-

Infernalis detrahendi: felicior itaque, licet fluctuet, sed non mergitur illa ratis.

FEria. 3. Punct. I Turbato Mari, tumente procella, & collidentibus ad invicem im-
Math. 8. petuosis fluctibus: *Ipse Christus dormiebat.* Considera hic, Salvatorem Mundi, verum esse innocentium animarum prototypon; quæ in omnibus conformes Dei voluntati, tranqvillo animo, in sinu Providentiæ suæ quiescunt, licet fulminet Cælum? tremat terra, fremat infernus, cunctæque in eas strideant Creaturæ. *Punct. II.* Idipsum successisse commemo-
Actor. 12. rant Acta Apostolorum, in Petro Apostolo, qui licet brevi suppliciandus, vinctus catenis, inter duos Milites, eô tamen svavi sopore quievit, ut excitans eum Angelus, opus habuerit, sensibiliter percutere latus ejus: nam quilibet svaviter ac securè obdormit, qvem remorsus conscientiæ non dilaniat: cura ut semper habeas conscientiam puram, & Somnus tuus, tam vitæ quàm mortis svavissimus erit. *Punct. III.* Meritò Deus per Isaiam, tranquillam Servorum suorum conscien-
Proverb. 15. tiam apellat: *Quasi juge convivium:* ut dicit S. Augustinus: Per victoriam passionum, non perditur Voluptas, sed mutatur, à carne ad Spiritum, à sensibus ad conscientiam, & quilibet dulciores esse sentit fructus justitiæ, quam iniqvitatis, jucundiusque homo gaudet de bona conscientia, inter molestias, quam de mala, inter delicias. Aspira ad hunc felicem spiritualis Convivij statum & adhuc in tempore prægustabis, quô æternaliter cum Deo perfrueris.

Feria.

FEria. 4. *Punct. I.* Constituti in periculo submersionis Apostoli suscitaverunt Christum dicentes: *Salva nos perimus.* Considera hic miseram hominum sortem, inter hostiles undique insidias, inter mille fluctuantis Mundi constituti procellas, nihil prorsus ad salvandum nos roboris ex nobis habemus, quinimò naturâ infirmi ac debiles sumus, præda hostium, gehennæ mancipia, & non nisi ad peccandum & pereundum propensi: sed adresistendum his omnibus, *Sufficientia nostra ex Deo est:* ideoque in omnibus tentationum & periculorum angustijs, clamare necesse habemus ad Dominum: *Salva nos perimus. Punct. II.* Procellis adversitatum, non vult Deus, Servos suos mergi, sed eosdem animat, ut ad ipsum per Orationem fiducialius recurrant, ut festinanter post ipsum currant, ad ipsum ergo clamemus & curramus pro auxilio, qui nihil boni ex nobismetipsis valemus. *Punct. III.* Ex fragilitate vel infirmitate periclitantes, & ad Deum pro adjutorio clamantes, libenter exaudit; spontè tamen & malitiosè in præcipitium lapsûs, ultrò se ingerentium, non Oratio, sed tentatio Dei est: Fuge itaque periculi occasiones, si Deum adjutorem in tuis anxietatibus habere velis. 2. Corin. 3.

FEria. 5. *Punct. I.* Excitatus à Somno Christus, redarguit Apostolos dicens: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Considera hic magnam Christi Domini erga peccatores clementiam, qui licetsi oculos claudere, & faciem suam ab ipsis avertere videatur, non tamen metuendum quod ipsos deserat, aut auxilia gratiæ Math 8.

peni-

penitùs ab ipsis auferat, nam venit quærere & salvum facere, quod perierat, majusque dixit esse gaudium Angelis super uno peccatore converso, qvàm supra nonaginta novem justis. *Punct. II.* Magna Dæmonis, & sensualitatis depravatæ ad perdendam animam potentia, sed major, volentis eam salvare Dei gratia: non est inimicus potentior ad damnandum, quam Deus ad salvandum nos: Dæmon salutem nostram impedit ex invidia, sed Christus pro eadem tormenta & Mortem passus est ex gratia: non ergo timendum, aut modica fides habenda, quod plus nobis Inimicus possit nocere, quam Christus velit prodesse, dummodo ad ipsum recurramus. *Punct. III.* Christus dixit Apostolis: *Sinè me nihil potestis facere*: ergo cum Divino ipsius auxilio, omnia qvantumvis gravia, & gravissima superare valemus, quâ fide armatus de se dicebat Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Tali & tu animatus fiducia, confide in Domino, & montes adversitatum facilè dissipabis.

Luc. 15. Ioan 15.

FEria 6. *Punct. I.* Considera quod postqvam *Christus imperasset Ventis & Mari, facta est tranqvillitas magna.* Disce hinc cum Divino auxilio regere passiones, & malas tuas frenare inclinationes, quas postqvam sub imperium recti judicij subegeris, magna animi tranqvillitate perfrueris; teste S. Augustino: *Hæc est hominis vita beata, atque tranqvilla, cùm omnes motus ejus, rationi consentiunt. Punct. II.* Qvælibet inordinata hominis passiò, furens in via Leo est: cujus vires, si auxilio Dei adjutus, ut alter Samson fregeris, & dilaceraveris, procul

Iudic. 14

dubio

dubio; dulcem favum melis, in hac victoriosa præda reperies, nam dicit S. Cyprianus: Nulla est major voluptas, qvam voluptatem vicisse. *Punct. III.* Omnis pugna à principio gravis, labor molestus, studium difficilè videtur, cum verò in his sensim quis magis ac magis exercitatus fuerit, non solum facilia sed dulcia ac jucunda redduntur: Ita pugna Passionum, labor proficiendi, studium Virtutum, amara & gravia principio videntur, postquam verò exercitatus in illis fueris, dulcissimos tibi afferent fructus, qui sunt juxta Apostolum: *tranqvillitas, pax, gaudium in Spiritu Sancto.* Roman 14.

Sabbatho. Punct. I. Postqvam Christus, tranqvillum reddidisset Mare; *Mirati sunt omnes, quia Venti & Mare obediunt ei.* Considera hic miranda Dei opera, & absolutam ejus, circa ordinationem Creaturarum potestatem, *qui vocat ea qvæ non sunt, tanqvam ea quæ sunt.* Ergo neqve tu despera, dum varijs afflictionum & tentationum procellis jactaris, ipse faciet cum tentatione proventum, ut possis sustinere, imperabit fluctibus, & affulgebit tibi tranqvillitas magna. *Punct. II.* Hæc dextera Excelsi, quæ Publicanos, Usurarios, Latrones ac Meretrices, omnisqve conditionis abominandos peccatores, in fluctibus iniqvitatum sedavit: licet & tu præter dominantes in te passiones inordinatas, nihil boni sentias, clama ad Dominum, & antiqva brachii sui miracula, in salvando te renovabit. *Punct. III.* Mirabuntur salubriter, qui te noverunt servientem Mundo & passionibus, neqviter, quomodo turbidum Mare iniqvitatum tuarum sedatum

Roman. 4. 1 Corin. 10.

est,

est, postqvam gratia Dei, factus fueris: *Non ille qui ante fuisti.*

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Evangelium. *Simile est Regnum Cælorum homini, qui seminavit: Math.* 13.

Punct. I. CHristus Dominus in hodierno Evangelio, Verbum Dei, comparat bono semini, sicut enim bonum semen, bonos profert fructus, ita Verbum Dei, qvantùm ex se, habet Virtutem producendi in Anima fructum optimum, quam ob causam non obiter & sinè apprehensione, sed devotè & attentè qvotiescunqve occurrat, legendum & audiendum est, Verbum Dei. *Punct.* II. Sacra Scripturarum Volumina, qvid sunt aliud qvam Litera ab Omnipotenti Deo, & Cælesti Rege, ad nos miseros, in hac lachrymarum valle exules scripta? si verò ad qvemqvam nostrum terrestris Rex scriberet, qvanta cum reverentia Literas susciperes, & qvali cum aviditate ac diligentia contenta in ijs perlegeres ac mandata expleres? ecce Regis Regum, & Dei Viventis, qvotidie tibi Literæ leguntur, & jussa publicantur, vide qvomodo ista audias & exeqvaris? *Punct.* III. Quando Oramus, nos Deum alloqvimur, dum verò legimus vel lecta audimus Verba Dei, nobis loqvitur Deus, cùm itaqve nostra Oratio, Divinæ Majestati, humili cum submissione, & affectuosa Spiritus inflammatione, præsentari debeat; qvantò

magis

magis qvisqve curare obligetur, nè Vocem & Verba Domini, de Sede Majestatis suæ nobis loqventis, & respondentis, surda aure prætetire patiatur? Vide itaqve, qvam sis promptus, & attentus ad audiendum Verbum Dei.

FEria 2. *Punct. I.* Qvamvis ex se optimum semen, cadens tamen supra petram, aut sterilem terram, ipso docente Christo, nullum fructum affert: ita omnes Scripturæ, & Sanctorum Patrum Doctrinæ, optimum sunt Dei semen, sed nullum proferunt fructum, si supra induratum cor, & sterilem conscientiæ peccatoris arenam cadant, Considera diligenter, cujus dispositionis sit cor tuum in suscipiendo Verbo Dei? *Punct. II.* Qvot Spirituales Lectiones, qvot zelosæ Superiorum monitiones, ad profectum Religiosum, aures nostras pulsant, sed qvia in vitijs consvetis, obdurata sunt corda nostra, proh! selectum Verbi Dei semen, nullum penitus affert fructum. Cu-rantes igitur ferventius Salutem Vestram: *Hodie si Vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda Vestra.* *Punct. III.* Si Rex pauperi, divitias appromittat, Pater Filio Hæreditatem offerat, Judex, reum consoletur, Medicus infirmo, efficacem medicinam consulat, qvis istorum promissa, oblata, solatia vel consilia sperneret? tu ista contemptibiliter qvotidie facis, si tractu Divini Officij, Psalmis Versibus, & Lectionibus, hæc omnia tibi inclamantem Deum non audias, neqve advertas. Psalm. 94.

FEria. 3. *Punct. I.* Considera factum Evangelicum: *Qvod cùm dormirent homines, Inimicus super seminavit zizania.* ex qvo disce, post- Matth. 13

qvam

qvam femen Verbi Dei, ac falutares inftru-ctiones, in animo tuo ad Profectum Religio-fum fixerint radices, ut fructum plus afferant, cave, nè in tepiditate Spiritus obdormias, nam facilè, inimicus Dæmon, variorum de-fectum fuperfeminabit zizania, & fic fructuofa Virtutum incrementa, fi non totale exitium, certò magnum patientur detrimentum. *Pun-ctum II.* Difcurfus frivoli, hilaritates diffo-lutæ, Societates perverfæ, Virtuofis Fratri-bus, zizania funt, plurimùm nociva: nè igi-tur fidas tuæ conftantiæ, facilius tu unus bo-nus, malorum Scandalo perverteris, qvam plures mali, tuo bono exemplo, ad viam Vir tutis convertentur. *Punct. III.* Qvot Reli-giofas cernimus Familias, tanqvam felecta grana, ad debitum perfectionis gradum fuc-crefcentia, fed malevolum zizaniorum femen, horum domefticam pacem turbat, charitatem fcindit, detractionibus lacerat & ex fertili agro, Cælefti Patri Familias, auream præpe-dit Meffem. Ideoqve, fi hic unus ex illis es, metue, nè fegregatus tempore Meffis, colligaris in fafciculum, & mittaris in ignem æternum.

FEria. 4. *Punct. I.* Confidera qvod in Agro Evangelico, *Ubi fuccrevit triticum, apparue-runt & zizania.* Nam fi in Cælo, inventi funt prævaricatores Angeli, ad præfentiam Divi-nitatis, Peccans Adamus in Paradifo volupta-tis, Judas traditor, in Schola Salvatoris, & qvæ oro tam felix reperiri poffit Familia? ubi mali bonis, tanqvam zizania, felecto tritico, non adinveniantur intermixti. Tu tamen confcientiam, tuam feriò reflectas, cum qvi-

bus in die extremæ Meſſis ſegregari cupias?
Punct. II. Melius judicavit Deus, ex malis bona facere, qvam ſimpliciter nulla mala eſſe permittere: ipſa enim crudelitas Diocletiani, Neronis, Domitiani, cæterorumqve Tyrannorum plurimùm profuit Eccleſiæ per ſtupendam tot Martyrum in Fide conſtantiam, & miraculorum indè provenientium præſtantiam, innumeraſqve Cælo tranſmiſit animas. Sicut & de Herode affirmat S. Auguſtinus: Qvod nunqvam parvulis, tantum prodeſſe potuiſſet obſeqvio, qvantum profuit odio: ergo & in malis; adora, optimas Dei ordinationes.

S. Auguſt.

Punct. III. Ex venenoſis Serpentibus, ſaluberrimæ conficiuntur medicinæ: prudens Medicus, in corpus infirmi, nonnunqvam moleſtam inducit febrim, ut per hanc nocivos conſummat humores; ita & de malis, novit Deus, optima facere, qvos aut ideo vivere permittit, ut exemplo, ſuffragiis & Orationibus bonorum corrigantur, aut ideo, ut boni per ipſos ad majus meritum, & comprobandam patientiam exerceantur. Si & tu aliis, adusqve tua malitia, ad bonum profuiſti, ora Deum & cura diligenter, ut ab hinc Virtute & bonitate vitæ, tibimetipſi ad ſalutem prodeſſe poſſis.

FEria. 5. *Punct. I.* Cæleſtis Paterfamilias ſinit patienter cum tritico ſimul creſcere & zizania, uſqve ad Meſſem dicens: *Sinite utraqve creſcere.* Nam qvos poſt commiſſum peccatum, deberet damnare ex juſtitia, hos diuturna longanimitate, expectat ad pænitentiam ex miſericordia. Vide ergo nè in te comple-

pleatur, qvod dicit S. Laurentius Justinianus: Qvanto diutius expectat, ut emenderis, tantò gravius judicabit si neglexeris. *Punct. II.* Multi peccant freqventius & gravius, eò qvod post lapsum, nihil ipsis accidat adversi, imò sæpe magis prosperantur, sed si Deus peccantes, semper inflagranti puniret, non fieret salva omnis caro, veniet tamen tempus, qvando justus Judex, iram suam septuplo graviorem
Isai 42 effundet super peccatores dicens: *Silui, tacui patiens fui*, tempus est ut percutiam vos in virga indignationis meæ. Cave itaqve, nè sicut te Deus in hac vita longanimiter ad pænitentiam tolerat, ita postea vindice manu gravius puniat. *Punct. III.* Super exaltat quidem Psalmista, Miserationes Dei, super omnia opera ejus patientèr tolerantis scelera hominum: ipse tamen Christus dixit S. Brigittæ: *Filia sic de Misericordia mea confide, ut tamen semper expavescas.* Ergo qvi contempserit in hac vita ad pænitendum Dei Misericordiam, sentiet in altera ad ulciscendum severam Justitiam.

FEria. 6. Punct. I. Considera qvod Evangelicus Paterfamilias præceperit colligere zizania: nam ista est peccatoris infelicitas, si-
Prover 5. cut dicit Propheta: *Iniqvitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Qvi gaudebas libertate Filiorum Dei, qvamdiu fuisti in statu gratiæ, postquam peccaveris, colligat te Dæmon in fasciculum zizaniorum ad comburendum igne æterno. *Punct. II.* Sicut Pisces capiuntur hamo, Aves retibus, varia tenentur Animalia ligamentis,

ita

ita Peccator, quam primum fit mancipium Diaboli, ingemiscere cogitur: *Funes peccatorum circumplexi sunt me:* nam licet ores, psallas, sive varias exerceas mortificationes, piscis tamen in hamo, & avis sub retibus Dæmonis captivatus es, donec inde solvaris: considera seriò, si & tu hoc pernicioso nexu colligatus non tenearis? *Punct. III.* Ad peccandum non necessitat Dæmon, sed invitat & allicit, Canis est latrans, sed non mordens, nisi propè accedentem, postqvam autem voluntatem ejus expleveris, hoc ipso vires tuas amittes, ita qvod ex ipsius captivitate, non nisi forti Dei brachio liberari valeas. Custodi itaqve animam tuam ab hoc infelici peccatorum nexu & lapsu, qui propria voluntate cadere, sed non surgere poteris. Psal. 118.

Sabbatho Punct. I. Considera, quam sollicitè Cælestis Paterfamilias demandet: *Triticum congregate in horreum meum.* Fructus enim bonorum operum ille est, qvi cum gloria Dei, & profectu æternali Animarum, *qvasi Acervus tritici*, aureo grano pleni, infertur in Horreum Palatij Cælestis. Curemus diligenter, ut Animæ nostræ hoc Salutari fructu abundantius cumulentur. *Punct. II.* In finali Dei Judicio, Euangelica complebitur Parabola, ubi triticum à zizanijs, id est Electi à Reprobis separabuntur, hisque in ignem æternum relegatis, selecta Electorum grana, felici Decreto: *Venite Benedicti.* in Horreum gloriæ Cælestis inferentur: sattagamus ut sors nostra sit cum Benedictis. *Punct. III.* S. Jgnatius Martyr, cum summo Spiritus gaudio, festinabat denti- Iob. 5. Math. 25.

bus bestiarum, tanqvam frumentum conteri, ut mundus Christi panis effici mereretur; ita Ignis, Crux bestiæ, & omnia Mundi tormenta in nos congregentur, felices erimus, dummodo fasciculo tritici Electorum, nexu perpetuæ charitatis, colligari valeamus.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Evangelium. *Simile est Regnum Cælorum grano Sinapis. Math.* 13.

Punct. I. COnsidera Christum Dominum in hodierno Evangelio, Regnum Cælorum *Grano Sinapis* comparantem, qvod licet natura sua acre & amarum sit, Sanitati tamen corporis proficuum: ita ad nocivas in corde nostro extingvendas Mundi dulcedines, Cælestis Medicus nullum efficacius præscribit remedium, qvàm amaram Mortificationum
Roman. 8 acredinem dicens: *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis.* Vide qvaliter Spiritualem tuam salutem cures? *Punct. II.* Licet omnis Mortificatio amore Dei facta, magni sit meriti, illa tamen etiam saluti tuæ maximè proficua, quæ vitio in te dominanti opponitur: ut superbiæ Humilitas, loquacitati taciturnitas, ebrietati sobrietas, immunditiæ castitas: diligenter itaqve considera, qvo vitio maximè impugnaris, & hoc omni conatu, contraria Mortificatione supprimere studeas. *Punct III.* Opposita Vitio dominanti Mortificatio, à Sanctis Patribus dicitur *Medicinalis*, qvia

qvia salubriter malas inclinationes sanat; si verò indiscriminatim pro tuo beneplacito, Mortificationes assummas, semper te qvidem mortificabis, sed æqvè semper in tuo Vitio perseverabis, qvia huic convenientem non apponis Medicinam. Diligentius itaque prospicas tuæ Saluti, & Religiosæ Perfectioni, ut Vitijs & Peccatis semper contraria adhibeas Medicamenta.

FEria II. Punct. I. S. Paulinus ad Amandum hæc scribit: Sicut granum Sinapis, quod minimum est in semine, maximum tamen extat in Olere, sic minimæ Mortificationes, in spicas altissimarum Virtutum, & abundantissimos manipulos Cælestium gratiarum excrescunt. Qui ergo hæroica Mortificationum genera exercere non vales, minimas non negligas, & magno tibi coram Deo cedent merito. *Punct. II.* Magnus Asceta Ludovicus Blosius affirmat dicens: Acceptius homo obseqvium præstat Deo, quando à vano & non necessario Visu, auditu, olfactu, gustù vel tactu discretè abstinet, propter Deum se mortificando, quam si plures mortuos ad vitam revocaret: ecce quam facili occasione, magna tibi possis accumulare merita. *Punct. III.* Communis Sanctorum Patrum fert sensus: Quod tanti sit meriti apud Deum, opus vel minimum, fervidè peractum, ut si pro eo rependerentur, totius Orbis Imperia, & quid quid est in ijs splendoris honoris ac valoris, non tamen adæqvarent prætium ejus. Cùm itaque Vita Religiosi Crux, & continua fièri debeat Mortificatio, nulli sit grave qvotidia-

næ Mortificationis exercitium, si quidem pro minimo opere, maximum Deus retribuat præmium.

Feria. 3. *Punct.* I. Granum Sinapis, qvamvis minimum: *Postqvam autem creverit, majus est omnibus oleribus, ita quod arbor fiat.* Sic evenit cum illo, qui minimos defectus emendare non curat, sensim labitur in majores, ac postmodum execranda scelera. Audi S. Gregorium dicentem: Non unquam deterius in parva, quàm in magna culpa peccatur, major enim, quo citiùs agnoscitur, eò etiam celerius emendatur, minor verò, dum qvasi nulla creditur, eò pejus, quo & securius in usu retinetur. Cave itaque minimos defectus, nè miser cadas in majores. *Punct. II.* Infernalis tentator, non allicit primò ad gravem Dei offensam, nam hoc modo facilè rejectus vitaretur, sed à minimis deducit sensim ad majora, uti David curioso primum aspectu, postmodum ad gravissima induxit scelera. Attendat quisqve sibi, nè hac Dæmonis astutia capiatur, & ex parva scintilla magnum excitet incendium. *Punct. III.* S. Anselmus signanter Religiosos præcavebat dicens: Certissimum est, quod in multis Ecclesijs experimento didicimus, quia in Monasterio, ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor Monachorum, inviolabilis manet, ubi verò minimi excessus negliguntur, ibi totus Ordo paulatim dissipatur & destruitur. Custodiamus itaque animas nostras à minimis defectibus, & præservabit nos Deus à majoribus, qui facientibus quod in se est, non denegat gratiam.

Feria.

Feria. 4. Punct. I. Granum Sinapis, *quamvis minimum postquam autem excreverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor.* Nam Servi Dei, licet sua humilitate minimos se reputent, in occulis tamen Dei succrescunt in magnos, & maximi meriti Viros, dicente S. Gregorio: Tantò eris apud Deum pretiosior, qvantum fueris in occulis tuis humilior. Cui consonat Granatensis qværens, & respondens: Qvis est Sanctus, idem qvi humilis, qvis Sanctior, qvi humilior, qvis Sanctissimus? qvi humillimus: Ecce habetis brevem Scalam, ad summum Sanctitatis apicem, hanc scandere sattagite. *Punct. II.* Cùm Vita Spiritualis sit Militia hominis super terram, humilis Servorum Dei animus, opportet ut simul Magnanimitate excrescat, in Arborem solidam, pugnantis etenim Militis hæcVirtus, confortat animum auget vires, gloriâ accendit spiritum; ita Miles Christi, in qvavis pugna Spirituali, Magnanimus sit opportet, faciens enim quod in se est, & confidens in Dei auxilio, facile de Inimicis, gloriosum reportabit triumphum. *Punct. III.* Videmus sepè, qvantum Religiosas conturbet mentes: Amor commoditatum horror austeritatis, inconstantia in propositis, morositas in functionibus, impatientia in adversis, quibus vitijs occurrendo, Magnanimitate in sollidam arborem excrescas opus est, errigendo; dilatando, & roborando animum, nè cedat malis, sed potius tantò magis nitatur, qvantò plus de materia vincendi prospicit, contemnatque animosè omnia terrena, dummodo asseqvatur Cælestia.

Math. 13.

Iob. 7.

FEria. 5. Punct. I. Confidera Evangelici fermenti naturam: *Quod abfconditum in fatis tribus, fermentavit totum,* Nam qvantumcunque bonis operibus abundemus, fi tamen occurente adverfitate, ad impatientiam concitemur, omnia bona Spiritualia reduntur nobis finè guftu acerba & infipida, quapropter Apoftolus præcavebat Ephefios ab hoc impatientiæ fermento dicens: *Omnis amaritudo tol-*
Ephes. 4 *latur à Vobis.* Cavendum igitur & nobis ab hoc impatientiæ fermento ut in fvavitate Spiritus Altiffimo ferviamus. *Punct. II.* Si pretiofo balfamo mifceatur venenum, excellenti Vino affundatur acetum, utrumqve corrumpi necefse eft, ita Veteres Sancti Patres, Religiofas fuas præcavebant Familias, nè inimicus tentator, cujufpiam cor impatientia fermentaffet, fed tranquilla & pacifica mente, fua opera facrificarent Deo, fcientes quod non nifi hilarem datorem diligat Deus: ita ut & opera noftra grata Deô redantur, promptofvavi & hilari corde exeqvenda. *Punct. III.* De Sancto Antonio Abbate Scriptor vitæ, & de pluribus Sanctis, fignanter Romualdo Abbate reffert Breviarium: qvod licet in fumma vitæ aufteritate, centum exegiffet annos, adeò tamen femper læto vultu erat, ut intuentes exhilararet: ita decet Servos Dei, non leves, non triftes, fed fpiritu effe gaudentes, Immitare & tu, fi in fervitio Dei, magis acceptus eidem effe velis.

FEria 6. Punct, I. Fermentum impatientiæ, ficut propria cujuslibet merita, coram Deo corrumpit, ita etiam aliorum dicta & facta

quamvis

quamvis optima, rugosa improbat fronte, nec sibi talis, nec alijs bonus, sed utrobiqve acerbus & gravis: Procul elimina ab animo tuo ejusmodi vitium, & senties, *qvam sit bonum & jucundum habitare Fratres in unum.* Psalm. 132.
Punct. II. Homo bonus & pacificus, juxta Apostolum, malum vincit in bonum, impatiens vero nullum sinit esse in pace, omniaqve improbans, bona in malum interpretatur; execrabilis profecto conscientiæ laniena, dum quis hoc modo sibi et aliis fit gravis. *Punct. III.* Sanctus noster Patriarcha, Præcepto Regulæ obligat. *loqvendum omnibus honestè sicut decet.* Proindeque Sermo Religiosus, cum omnibus svavis, modestus, moderatusque sit, neminem lædens, neminem pungens, aut contemnens. *Qui enim profert contumeliam insipiens est.* dicit Salomon. Prover 10.
Igitur juxta cautelam S. Bernardi: Summas prius Verbum tuum bis ad limam, semel ad lingvam, & ita Sermonibus tuis nulli scandalo, molestia & offendiculo esse poteris.

Sabbatho Punct. I. Christus Dominus turbis potissimum loquebatur in Parabolis, ut Cælestes doctrinas rudis, ac carnalis populus, faciliùs inteligeret, & ex his quæ noverat, posset assurgere ad Spiritualia quæ non novit. Laudabilis etiam Religiosorum illa conversatio, quæ candorem animi, sinceritate verborum explicat. *Punct II.* S. Paulus primitivos Christianos, in sinceritate animorum instituens, præcepit, ut Sermo eorum esset sine fictione: *Est est non non,* dedecet enim Columbinam Servorum Christi simplicitatem,

aliud

aliud corde sentire, & aliud verbis efferre. Caveat quisque, nè hac cordis duplicitate Deo & hominibus exosus fiat. *Punct. III.* S. Petrus Epistola sua commonet omnes in hæc
1.Pet.3 Verba: *Vestram excito in commonitione sinceram mentem, ut sitis sinceri.* Si itaque omnes Christianos, vel maximè tamen Religiosos, decet ad invicem Fraterna & reali sinceritate conversari, quorum anima, & cor unum in Christo esse debet. Confundaris in animo tuo, qui sepè consvevisti de Fratre tûo, in faciem benè, absenti verò maledicere.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Evangelium. *Exiit conducere Operarios in vineam suam.* Math: 20,

Punct. I. CONsidera qvaliter in hodierno EvangelioCælestisPaterfamilias, redarguat Otiosos, dicens: *Quid hic statis tota die otiosi?* Omne enim temporis momentum, juxta S. Augustinum, tantum valet, quantum Deus, quia eodem lucrari possumus Deum, & felicem æternitatem. Magnam itaque facimus nobis injuriam, dum tam pretiosum thesaurum infructuosè amittimus. *Punct. II.* In Baptismo cum Deo fecimus pactum strenuè pro gloria ipsiùs in Ecclesia laborandi, in Professione Religiosa vovimus, omne tempus, excolendæ Vineæ Domini impendendi, subinfert hic S. Bernardus dicens: Si arguuntur otiositatis illi, qvos nemo conduxit, qui ve-

rò conducti sunt, si otiosi fuerint inventi, quid merebuntur? perpendat quisq; qvam diligenter in Vinea Seraphica laboret, si plus otio, frivolis discursibus, & non necessariæ somnolentiæ, pretiosum tempus impendat? *Punct. III.* Tempore Vindemiæ o! quam diligenter colliguntur Uvæ, tempore Messis, qvanta cum sedulitate congregantur Manipuli, qvilibet artifex, quanta cum aviditate impendit diem in lucrum laboris manum suarum, ut ex eodem temporaliter vivat: Nos qui hic congregati sumus, ante triginta vel qvinqvaginta Annos in Mundo non fuimus, post tot, vel pauciores Annos fortè menses vel dies, nec amplius in vivis futuri, hoc solum nobis breve tèmpus à Deo concessum, ut ex eo æternaliter nobis fructum duraturum accumulemus: Ergo Fratres nullus torpescat in otio, sed omni cum diligentia, *dum tempus habemus, operemur bonum.* ad Galat. 6.

F*eria II. Punct. I.* Non solùm otiari, sed etiam tepidum ac negligentem esse in Dei Servitio, multum damnabile est, nam tales Deus, qvasi vomitum abominabilem execratur dicens: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc Infinitæ enim dignitatis Domino, dignè & diligenter serviendum. Cælestis Regis jussa, non segniter, sed promptè exequenda, cùm Servus negligens ac desidiosus, ubique & à temporali famulatu repellatur. Vide quomodo tu Servias Deo? *Punctum II.* Si damnatis, unicus concederetur quadrans, ad agendam pænitentiam, qvanto cum fervore eundem in reatu suarum culparum

rum impenderent? Si etiam ipsis Electis, indulgeretur ad Vitam viæ regressus, qvanti, Martyrijs & actibus Virtutum heroicis, insudarent. Beatitudinis æternæ mereri augmentum? Ecce quod Electis ac Reprobis negatur, vobis concessum est, excutientes itaque mentis teporem, diligentius ab hinc negotio Salutis Vestræ intendite. *Punct. III.* Ipse Christus monuit, laborandum sollicitè pro Salute, donec dies est præsentis Vitæ, *veniet, enim Nox Mortis; ubi nemo amplius operari poterit.* sed jam tunc recipiet, prout gessit in suo corpore, sive bonum, sive malum. O! Animæ Religiosæ, jam advesperascit, iam tenebrosa Mortis inclinatur umbra, brevi Sol Divinæ gratiæ occidet, Vitæque nostræ effluet clepsydra; igitur non desidiosè non tepidè, sed quam ferventissimè, pro gloria Dei, & salute Animarum nostrarum laboremus.

Ioan. 9

FEria. 3. *Punct. I.* Considera quod Evangelicus Paterfamilias redarguat Operarios Murmurantes: nam hoc vitium abominabile Deo & hominibus, per quod injuriatur Dei honor, læditur hominis Anima, Fraterna totius Communitatis pax turbatur: unde dicebat S. Augustinus: *Mali semper murmurant, boni nunquam.* Ex quo dignosce, cum quibus numerari merearis? *Punct. II.* Populum Israeliticum murmurantem punivit Deus: morsibus Serpentum, negatione Terræ Promissionis, Sororem Moysis lepra. Datan & Abiron vivos terra absorpsit, ex quorum supplicio, Gerardus Abbas, hanc subinfert reflexionem: Grande malum murmuratio, cùm eam Deus

Numer 21. Numer. 12 Numer 16.

olim,

olim, tam tremendo punivit suplicio, si ergo ita rigidus fuit Dei furor, in Judæorum cruditate, qvàm erit abominabile murmur, in Religiosorum perfectione? *Punct. III.* S. Paulus Apostolus monuit Philipenses dicens: *Omnia facite sinè murmuratione* Multum enim abominabile est, dum aliqvis Superiorum suorum dicta & facta redarguit. Religiosorum mores, vitas, victum, & cætera Conventus munia improbat, nihilqve tale, quod sibi placeat adinvenit, sed cum ipse murmurator iniqvus sit, omnia murmure vitiare conatur, oblitus suæ salutis, nam dicit S. Bernardus: Regnum Cælorum, nullus qvi murmurat accipit. Cave itaqve ab hoc Vitio, quod te à Cælesti gloria excludere potest. Philip.2

Feria 4. Punct. I. Considera diligentem laborem Operariorum in Vinea Evangelica, qui de se dicebant. *Portavimus pondus diei & æstus.* ex quo disce Vocatus in Vineam Christi, ut quam diligentissimè tractes opus gloriæ Dei, & propriæ Salutis, neque expectes, ut te Deus miraculosè, cum Paulo prosternat, vel ad tertium Cælum rapiat, sed cum ordinarijs ipsiùs auxilijs sattagas certam tuam Vocationem & electionem facere, sicqve fidelis in modico, dignus eris majora dona accipere. *Punct. II.* Sancti nostri in Religione Prædecessores, non nè eandem quam nos Regulam Professi, eadem munia Officia, mortificationes & jejunia executi, pari victu amictu & habitatione usi? quam ergo ob causam, par fructus Sanctitatis in nobis non relucet? certè ideo, quia Sanctorum quidem in Conventibus Actor 9

Officijs & munijs Successores sumus, sed non infervore charitatis, & exacta Regulæ observantia. nam Officiis non exactè sed utcunqve satisfacimus, munia Conventus neglienter adimplemus, Mortificationes cæterasque Religionis austeritates, cum murmure, & magis inviti, aut ex consvetudine, quàm Dei amore exequimur: Ecce similis operis disimile coram Deo meritum. *Punct. III.* Piscis viventis in flumine, signum infallibile, dum contra torrentem natat, mortuum enim, secum fert, quo defluit aqua: ita Religiosus, quamdiu strenuè & viriliter, contra suas vitiosas procedit passiones, & non abripitur earundem impetu, signum est, quod in gratia Dei vivat. Considera hic, quo statu maneas, & cura auxiliante Deo, ut opera tua vivida, & fervore amoris Dei plena sint.

FEria. 5. Punct. I. Paterfamilias Evangelicus, submurmuranti de solutione Operario dixit: *Amice non facio tibi injuriam*: ex quibus verbis considera, magnum Prædestinationis volvi negotium. Nam Deus Omnipotens, & absolutus Dominus, in cujus manibus, vile luti figmentum sumus, si nos Vas in contumeliam effecisset, aut in massa perditionis, peccati Originalis reliquisset, & damnasset, non nè meritò cuilibet dicere posset: *Amice non facio tibi injuriam.* Et tamen justitiæ suæ continuit manum; sed solius misericordiæ complectitur nos dextera, ducendo nos via salutis. Vide qualiter tantis beneficijs correspondeas? *Punct. II.* Quam multi populi & Gentes, in tenebris infidelitatis cæcutiunt, neque

neque in æternum Deum visuri: quam multi infantes ex utero Matris, ad gratiam Baptismi non pervenerunt; Nos autem ex sola gratia Dei, non solum ad Sacramentum Baptismi, sed & Religiosæ vocationis pervenimus, Sattagamus itaque, & ampliorem ejus misericordiam imploremus, ut quos clementer vocavit, hos etiam gratiosè justificet ac glorificet. *Punct. III.* Negotium Salutis, omnes certificat Apostolus, esse opus: *Non hominis volentis, neque currentis, sed miserentis Dei:* Roman. 9.
quia non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, salvos nos fecit. Si autem ab aliquo Rege expeteres gratiam, non nè ipsum offendere exhorresceres, tu quotidie Cælestem Regem Oras: *Adveniat Regnum tuum:* & quomodo gratiam Prædestinatoris tui, enormitate peccatorum irritare præsummis? Math. 6.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera Christum Dominum in Parabola Evangelica dixisse: *Multi vocati:* quia & defacto videmus, per omnes Status Spirituales, & Ordines Religiosos, multos esse ad servitium Dei vocatos, sed fortè paucos ex his, quæ suæ obligationis sunt observatores, cùm præsertim uti docet Kempensis: Habitus & tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum, verum faciunt Religiosum. Vide itaque utrum Habitu, an moribus, sis Religiosus? *Punct. II.* Gratiam Vocationis ad Religionem. S. Laurentius Justinianus signanter apretiat dicens: Consultò Deus gratiam Religionis, hominibus occultavit, nam Math. 22.

si co-

ſi cognoſceretur ejus felicitas, omnes ad eam concurrerent. Conſideret quiſque, quam ſit Deo gratus pro hoc ſpeciali ſuæ vocationis beneficio. *Punct.* *III.* Carolus V. Imperator, plus voluptatis dixit ſe percepiſſe per unum diem in Monaſterio, quàm per plures annos in Imperio. S. Bernardus affirmat, quod in Religione: Vivit homo purius, cadit rarius, ſurgit velocius, incedit cautius, irroratur freqventius, qvieſcit ſecurius, moritur confidentius, purgatur citiùs, remuneratur copioſius. Ecce nobis qui hic ſumus, has gratias conceſſit Deus, quas multis negavit, qui fortè melius eidem serviviſſent, quod ergo hactenus neglеximus, ab hinc seriò emendemus.

Sabbatho *Punct.* *I.* Oraculum Chriſti dicentis: *Multi vocati, pauci vero electi*: cujuslibet cor & animum, fulminis inſtar tangere debet: nam Vocatos ad Fidem & Religionem, cum multis nos videmus; ſed utrum cum paucis Electis in gloria connumerari merebimur, ſolus Deus novit! Unde S. Bernardus congregatis in unum Fratribus, ſepè ingeminabat dicens: *Quis ſcit, an omnium veſtrum, quos hic video, ſint ſcripta nomina in libro vitæ.* Idipſum amaro cum ſingultu, repetamus de nobis: Quis ſcit, an omnium noſtrum, qui hic congregati ſumus, nomina ſint ſcripta in Libro Vitæ? Per ſalutem igitur animæ tuæ, quemlibet monet S. Auguſtinus: *Si non es prædeſtinatus, fac*
1 Petri 3. *ut prædeſtineris.* *Punct.* *II.* Sub Diluvio univerſali, ex toto Orbe, octo ſolùm animæ in
Genes 19. Arca, à naufragio ſervatæ ſunt; Pentapolim
Nu Deus everſurus, decem juſtos non invenit; ex
ſexcen-

fexcentis millibus Virorum duo tantum perve- mer. 14.
nerunt ad Terram Promiſſionis, Daniel ſolus Daniel.
cum tribus Socijs inventus eſt Deo placens, 1. Iob 2.
in Babilone: Job ſolus juſtus in omni terra, Patris noſtri Bertholdi revelatione compertum, ex ſexaginta millibus animarum, tres tantum fuiſſe ſalvas. Moriente S. Bernardo, ex triginta millibus, quinque ſolùm, vita æterna donatæ. Quis hic non contremiſcat, de tam exiguo Salvandorum numero? & tamen ita ſecurè vivimus, quaſi de noſtra ſalute certi eſſemus. *Punct. III.* Si nobis revelaretur, ex Urbe hac, Pago vel loco, unum eſſe damnandum, non nè quilibet meritò expavéſceret cum
Apoſtolis Cænantibus dicens: *Numquid ego ſum* Math.
Domine? Et quantò magis exhorreſcere debe- 26.
mus, cum ex tam multis millibus, vix unus Salvetur: Cautè itaque Viam mandatorum Dei, & Obſervatione Regulæ incedamus ut, cum paucis ſelecti, Vitam æternam aſſequamur.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Evangelium. *Cùm turba plurima convenirent de Civitatibus. Lucæ.* 8.

Punct. I. Conſidera, qualiter teſtante hodierno Evangelio: *Turba multa conveniebat ad Chriſtum pro audiendo Verbo Dei:* ex quo diſce quærere occaſiones, ubi audire vel legere poſſis Sacras Chriſti, & Sanctorum
Doctrinas, ſiquidem ipſe Salvator ait: *Qui ex* Ioan. 8.
Deo eſt, verba Dei audit; è contrariò negligentes arguit: *Propterea vos non auditis, quia ex*

Deo

Deo non estis. Et tu à Deo te separas, si frequentius frivolis discursibus, & otiosis confabulationibus, quam Spiritualibus Doctrinis oblecteris. *Punct. II.* Tempore crudelissimæ Passionis, postquam Christum interrogasset Pilatus: *Quid est Veritas?* non expectato responso,
Ioan. 18 exijt foras, & cum Judæis suos habuit Sermones. In quem locum commentans Euthimius apud Sylveiram, affirmat: Si Pilatus à Christo responsum expectasset & quid sit Veritas didicisset, nunquam ipsum innocentem falsò condemnasset: Vide quantas tu negligenter omittas Spirituales Doctrinas. *Punct. III.* Sicut nihil prodest homini, vidisse in Speculo, maculam vultus sui, si illam non abstergat, ita nihil prodest audire, vel legere Doctrinam Spiritualem, nisi illud quod legitur vel audi-
Roman tur, opere adimpleatur, *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Ita nihil ulli nostrum, ad salutem proderit, Præcepta Dei legisse, Regulam sepè cantari audivisse, nisi hæc omnia, ad quæ obligamur, ipso opere compleamus imô ut
Luc. 12 ipse Christus dixit: *Servus cognoscens voluntatem Domini sui & non faciens, vapulabit multis.*

FEria. 2. Punct. I. Considera Seminis Evangelici statum: *Quod cadens inter spinas suffocatum est.* Ita evenit Servis Dei, qui licet bonum Semen Doctrinæ Spiritualis, corde suscipiant, si tamen advertenter spinas Venialium peccatorum succrescere in se permittant, ita eorum puncturis læditur, & suffocatur, quod nullum possit fructum afferre, imò sepè animam in perniciem trahat, sicut re-

vela-

velavit Christus S. Brigittæ dicens: *Quicunque in minimo peccato delectatur, nec illud emendat, satis est ad perditionem.* Cave igitur Augustini monitô: Qui projecisti molem, nè arena obruaris. *Punct. II.* Giganteæ propaginis Goliath, in singulare certamen, occurrentem sibi Davidem contempsit, & tamen ab eodem victus & occisus fuit: Ita sepè nobiscum evenit, quod contemnentes, nec emendare in nobis curantes, minora Peccata Venialia deliberatè commissa, per hæc facilitamur ad perpetranda graviora, dicente S. Gregorio: Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, majora audenter perpetramus, & perimus. Nihil igitur parvum existima, quod Dei majestatem quomodocunqve offendit. *Punct. III.* Peccatum Veniale, qvamvis Deum graviter non offendat, neque animam mortaliter lædat, displicet tamen illi, & conscientiam peccatoris, in tantum commaculat, quod in præsenti vita, vel in gravissimis Purgatorij pœnis, expiari debeat, Possetne tamen amans Patrem dici Filius, quem &si mortaliter non lædat, sepius tamen irritare contemnat? Ecce hoc nos facimus, quando Deum omni amore dignissimum, peccatis Venialibus deliberatè offendere præsummimus.

1. Reg. 17.

FEria. 3. Punct. I. Cadens Semen Evangelicum *Supra petram aruit.* Cujus occasione Luc: 8. considerandа venit in Orationibus & Spiritualibus exercitijs *Ariditas*: quæ si absque culpa nostra fiat, sed permittente Deo occurrat, ad majus probationis meritum, humiliter ac patienter toleranda. Sicut enim ignis, quamvis

vis in silice lateat, nisi tamen excutiatur, non ardebit; ita in homine justo, latent quidem Virtutes, sed actualiter accensæ non fulgebunt, nisi varijs adversitatibus excutiantur. Hanc igitur acerbitatem Servis suis Deus nonunquam immittit in Oratione, auferendo dulcedines Spirituales, ut etiam in hoc Sancto exercitio, non nostrum gustum, sed ipsius Divinum beneplacitum quæramus.

Punct. II. Licet Deus plurimis Cælestibus favoribus, & stupendis prodigijs, populum Israeliticum cumulaverit in Deserto, attamen etiam nonunquam permisit gravem pati si-
Exod. 17. tim, testante Scriptûra: ***Sitivit ergo ibi populus, præ aquæ penuria.*** Ut demonstraret nihil ipsis conferri ex debito, sed ex gratia, mixtimque prospera succedere adversis. Ita & nos, æquanimiter à Deo suscipere debemus, dulce Manna, sive acerbam sitim, dum nos in Oratione, his visitare dignatur. *Punct. III.* S. Bernardus de se ipso similia reffert dicens: Ab heri & nudius tertius, invasit me langvor animi, & mentis habetudo, duritiaq; cordis, non sapit Psalmus, non legere libet, non Orare delectat, Meditationes solitas non invenio. Pares cordis ariditates passus fuit S. Pater Noster Franciscus, S. Theresia, plurimique Sancti, quorum exemplo humiliter & patienter toleranda talis Visitatio Domi-
Ioan. 16. ni, qui dixit: *Modicum videbitis me, & iterum modicum & non videbitis me.* Diligenter tamen examinanda est conscientia, nè ejusmodi Cælestium Solatiorum subtractio, nostra culpa fiat.

Feria.

FEria. 4. Punct. I. Semen Evangelicum non produxit fructum, quia *Conculcatum est*. Ex quo considera illorum Ingratitudinem, qui illustrationes à Deo internas, commonitiones externas, freqventer quidem audiunt & legunt: quia tamen suis consvetis inhærent vitijs, hoc ipso omnes Divinarum gratiarum compulsus spernunt & quasi conculcant, dicente S. Gregorio: Multum cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis Cælestibus, legendo vel audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando, nihil fructificat. Audi igitur vocantem te ad perfectiora Deum, nè ab ingrato tollantur Cælestium luminum beneficia. *Punct. II.* Deus per Prophetam conqueritur de populo Israelitico dicens: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Isai. 1
Qvantò magis conquerendi causam habet de illis Religiosis, quos in Matre Provincia concepit, lacte instructionum Spiritualium enutrivit, supra statum Sæcularem exaltavit; & tamen ubi in Viros adolevimus, & Paterna illius audire Præcepta, sequi consilia, præscriptas vivendi Regulas, observare deberemus, has tamen laxè vivendo spernimus, & contemptibiliter negligendo quasi conculcamus. Confundamur igitur nostris malefactis, & ab hinc Salutaria observemus consilia. *Punct. III.* Sicut Deus gratiam Justificationis, quam in Baptismo accipimus, aliqvot guttis aqvæ alligat, ita sepissimè gratiam conversionis peccatoris Providentia Divina, paucis Verbis doctrinæ Spiritualis affigit: ut videmus factum in Magdalena, Augustino, & mil-

lenis exemplis similibus. Nè ergo contem-
1. Reg. Luc. 16. ptibiliter permittas Verbum Dei cadere in terram, *Sed ponite illud in cordibus vestris*, ut opere compleatis.

FEria. 5. Punct. I. In explicatione Parabolæ Evangelicæ, arguit Christus illos, *Qui ad* Luc. 8 *tempus credunt.* Multi enim benè inceperunt, sed pauci finiverunt. S. Isidorus autem dicit: Inchoantibus præmium promittitur, sed solis Perseverantibus datur, tunc enim Deo placet nostra conversatio quando bonum quod inchoamus, perseveranti fine complemus: scriptum est enim: Væ his! qui sustinentiam perdiderunt, id est opus bonum non consummarunt. Ergo anima Religiosa, quid quid boni agis, ut remunereris in finem agas perseveranter. *Punct. II.* Improbat Apostolus cæpti Profectus intermissionem dicens: *Stulti* ad Gal 3. *estis, ut cum Spiritu cæperitis, nunc carne consummamini.* Ex quo reflectamus conscientias nostras, quanto cum fervore & Sanctis propositis, ad Religionem venientes Deo servire cæpimus, Divinæ gratiæ illustrati radijs, ac salutaribus admoniti exhortationibus, in Virtutibus profecimus. Qvàlis igitur pudor, si post hæc omnia, ubi ad Coronam meritorum appropinqvare deberemus, tunc stulta animi imbecillitate, à via Virtutis retrocedamus? *Punct. III.* Qvid prodest gloriosè pugnanti ad Victoriam, si in fine defficiat? quid Mercatori, si pretiosas Merces, per mille Maris pericula transvehens, in ipso portu mergat? Si plausibiliter currens ad bravium, circa finem claudicet? Plurimi profectò benè, melius, optimè

Viam

Viam Virtutis Chriſtianæ, ac Perfectionis Religioſæ ſunt agreſſi, ſed quia arduitate operis deterriti defecerunt, ideoque & perierunt. Horum igitur infelici præcautos exemplo, cum S. Cypriano: Hortor vos Fratres, per veram circa vos charitatem, ut gloriam Veſtram, perſeveranti virtute teneatis.

FEria. 6. *Punct.* I. Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis: *Vobis datum eſt nôſſe myſteria Regni.* Luc. 8. Cujus Cæleſtis favoris, & nos in Sacra Religione participes ſumus, dum nobis datur modus & tempus, per Sacras Meditationes profundius admirandi & ſcrutandi Myſteria Fidei, mediaque aſſequendi Salutem æternam. Omni igitur ſtudio ac diligentia, intendamus quotidie, huic Sacro Meditationis exercitio, per quod ſolum Dei magnalia, & profectum, ſive defectum animarum noſtrarum cognoſcere valemus. *Punct.* II. Sicut cibus, quantumvis præſtans, & ſapidus, nullum tamen comedenti parit guſtum, nec in corporis tranſit nutrimentum, ſi avidè deglutiatur, & non debite intra palatum maſticetur: ita omnes Doctrinæ, & Veritatès Chriſtianæ, non impingvant, neque animam nutriunt, nullumque fructum Spiritualem afferunt, niſi per Meditationem diligenter ruminentur & diſcutiantur, qvia cum ſonitu verborum ab aure tranſeunt, & fructuoſè ad cor non pertingunt. Unde hæc eſt cauſa, cur tot Spirituales doctrinæ exiguum aut nullum nobis fructum faciunt. *Punct.* III. Bona eſt vocalis Oratio, bona Choralis Pſalmodia, cæteræque precariæ Devotiones, ſed parum ab Avium cantu, &

Animalium murmure differunt, nisi Sacra Meditatione, & mentis ad Deum elevatione appretientur, nam permanent in ore, vel aure, cor verò ad amorem Dei non accenddunt, neque Spiritualem pariunt fructum. Cura igitur, ut fructuosissimo Sacræ Meditationis exercitio, animam tuam quotidie nutrias, impinpingves, ac perficias, & sic Amoris Divini in Meditatione tua exardescet ignis dicente S. Cyrillo: Quemadmodum chalybis affrictu, ex lapide copiosus ignis exilijt, ita dum mens discursu & affectu in Meditatione quasi percutitur, ignis amoris Divini, & desiderium perfectionis excitatur.

Sabbatho Punct. I. Evangelicus Paterfamilias, laudat Operarios, *Qui fructum afferunt in patientia.* Virtus enim *Patientiæ*, teste S. Jacobo Apostolo: *Opus perfectum habet.* nam dicitur esse radix ac custos omnium Virtutum. Et Venerabilis Beda affirmat: Cujus Patientia vinci non potest, ille Perfectus esse probatur. Ex hac igitur Virtute considera, quam procul distes à vera perfectione Religiosa?

Luc: 8
Jacob. 1

Punct. II. Spirituales Magistri, tres communiter assignant gradus Patientiæ, scilicet pati pro Christo *Patienter*: supportare contraria *Libenter*: & complacendo sibi in adversis *Gaudenter*. Confundere quod homines sæculares, plura gaudenter patiantur pro Mundo, quam tu in Religione, patienter feras pro Christo; propone meliora, & sit tibi abhinc dulce gloriari in Cruce Domini nostri JESU Christi.

Punct. III. Qvot qvot Religioso adversitatum occurrunt genera, tot sibi à Deo credat offeri

præ-

præmia, si hæc per patientiam mereri voluerit. Nulla igitur corporis infirmitas, nulla animi afflictio, nulla odij, contemptus, aut lingvarum jacula te lædant vel conturbent, quoniam ipsius Diuino sumus assecurati Oraculo: quod non nisi *in patientia possidebimus animas nostras.*

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ

Evangelium. *Assumpsit IESUS duodecim, & aijt illis: Lucæ* 18.

Punct. I. Considera qualiter Christus Dominus in hodierno Evangelio, prædicit Apostolis, futuræ suæ Passionis tormenta, quæ suscepturus erat, pro redimendo genere humano. Ex quo collige peccati Mortalis gravitatem, tanquam morbum ex medicina; si enim in Adamo prævaricante, occisum genus humanum, aliter vivificari non potuit, nisi Passione & Morte Christi: vide igitur, quantæ sit malitiæ offensa mortalis, cum pro hac sananda, ipse Author Vitæ mori debuerit. Undè exclamat S. Bonaventura, Agnosce ô homo! quam gravia sint vulnera, pro quibus, secundum Divinæ Sapientiæ ordinem, necesse fuit Christum vulnerari. si non essent hæc ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Christus Dei Filius moreretur? *Punct. II.* Peccatum mortale, ex homine, Filio Dei adoptivo, facit mancipium diaboli, ex Hærede Regni Cælestis, incolam perpetuum Inferni, privat fructu Passionis

Chri-

Christi, & omnibus meritis, tollit Virtutes infusas, obscurat mentem ad illustrationes Divinas, & inducit cæcitatem animæ nè videat sui perditionem, spernit protectionem Beatissimæ, & Societatem Sanctorum, & annumeratur consortio damnatorum. Ac denique ipse Christus revelavit S. Catharinæ Genuensi: Si totius Mundi homines turpitudinem, & malitiam peccati mortalis viderent, præhorrore omnes morerentur. Ecce ad ista omnia te resoluis, dum graviter peccas. *Punctum III.* Si animam tuam annihilares, & loco illius in corpus tuum Diabolum substitueres, qui illud vivificaret, pro tali statu falsò diceres, te esse Christianum & Imaginem Dei, cùm potius esses Diabolus incarnatus. Ecce peccans mortaliter, conjcis te in talem statum: nam Intellectum tuum occupat dæmon; ad objecta eundem illicita alligando; Memoriam possidet, cogitationes perversas fovendo: voluntatem dirigit, ad ea, quæ sunt contra Legem Dei, & præcepta Regulæ exequenda: *Scito igitur & vide, quam malum & amarum sit reliquisse Dominum Deum tuum*, proindeque fuge & execrare tam grande malum, quô nihil pejus esse potest.

Jerem. 2.

FEria. 2. Punct. I. Postquam Christus Apostolis, multa de sua Passione prædixisset, refert Evangelium, quod illi: *Nihil horum intellexerunt*. Quorum occasiône, ferventer implorare debemus à Deo lumen Cæleste, per quod cognoscamus, quæ Saluti nostræ sint necessaria, vel nociva: sepè enim etiam gravia peccata in conscientia habemus, quia tamen

Luc: 18

serio

feriò hæc non inqvirimus, aut paſſione excæcamur, ideò nos eſſe abſque culpa falſò putamus: peſſimum autem eſt genus peccati, non intelligere peccata dicit Auguſtinus. *Punct. II.* Multa ſunt, quæ ſcire obligaris, vi Superioralis Officij, vi Characteris Sacerdotalis, vi Profeſſionis in obſervanda Regula: ſi tamen hæc ſcire non cures, & contra obligationes graviter pecces, ignorantia tua eſt culpabilis, & conſequenter Animam damnans. Ideoque nè falſò exiſtimes te habere Conſcientiam puram, diligenter ſcire, & obſervare cura, quæ ad te obligatoriè pertinet. Nam dicit Auguſtinus: Ignorantia eorum, quæ ex negligentia indagare omittimus, nullum ſic excuſat, ut æterno igne non ardeat. *Punct. III.* Non abſque gravi cauſa orabat David: *Ab occultis meis mundame, & ab alienis parce Servo tuo.* Nam ſi tua occaſione Scandalo, vel incuria, alij graviter peccent, nec impedire curas, dum ex Officio, aut debito obligaris, & potes, etiam alienum peccatum imputabitur tibi ad culpam & perditionem. O! quam grande periculum, habere etiam in alijs cauſam ſuæ damnationis: examina ergo diligenter conſcientiam tuam, & cave nè intelligere negligas, quô animam tuam perdas. Pſalm. 18.

FEria. 3. Punct. I. Sacer Evangelij textus reffert, quod tranſeunte Chriſto: *Cæcus ſedebat ſecus viam.* Cujus occaſione conſiderandus venit, vitæ noſtræ ſtatus, quod in præſenti vita, quaſi in via ſumus, quâ ad Patriam pergimus: dum itaque tam multi, ad hunc felicitatis æternæ terminum properant, tu ſolus reve- Luc: 18.

revera cæcus es, si secus istam viam piger sedeas, & ad videndum Deum, gradibus Virtutum non ascendas. *Punct. II.* S. Gregorius dicit: Stultus ille Viator, qui in itinere amæna prata conspiciens, ire obliviscitur, quo tendebat. Sed major nostra amentia, dum vanis hujus Mundi objectis & negotijs distracti, citatiori passu, de Virtute in Virtutem progredi negligentes, felicis Patriæ obliviscimur. Vide itaque nè his præsertim diebus, ineptæ tradas te lætitiæ cum Mundanis, & per hanc in tuo Religioso progressu, retarderis. *Punct. III.* Omnia currunt ad Perfectionem; Arbor quotidie crescit, fructus maturescit, Æconomus & Mercator, quotidie curat esse ditior, Studiosus doctior, Artifex in sua arte perfectior. Quanta igitur negligentia? dum Religiosus, qui sub mortali peccato, ad perfectionem tendere obligatur, nedum in via Virtutis proficiat, sed sepè deficiat. Cura ferventius in negotio salutis tuæ, qvod hactenus neglexisti.

Feria Qvarta Cinerum.

Punct. I. POst lætas Carnisprivij ferias, salutari Ecclesiæ instituto, hodie nostra cinere consperguntur capita, ut ex hoc quilibet discas, quantumque lætos duxeris dies omnium prosperitatum, ac optabilium voluptatum genere, Mathusaleos transigeres annos, meminisse tamen opportet, quod ultimatè Sepulchralêm offensurus sis lapidem: Genes. 3 *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Punct. II. Cogitatio de Morte, est salutare illud

semen,

semen, quod Diabolus omni studio è cordibus nostris evellere conatur, quemadmodum & Eva, metu Mortis, *Ne fortè moriamur*, in statu innocentiæ servata: postquam verò Stygius Tentator, hunc eidem excussisset timorem: *Nequaquam moriemini*. Et ijdem Progenitores nostri, & nos cum illis, fatali mortis gladio perempti sumus, teste Apostolo: *Per peccatum Mors transijt in omnes* Si itaque cavere velis peccatum: *Memento mori*. *Punct. III.* Videns Borgias vultum Imperatricis fœdè mutatum, ex Duce Gandiæ, in humilem Christi Servum mutatus. Sanctam Theresiam ipse Christus docuit, ut pro assequenda facilius Perfectione, supra Sepulchrum Sororum, quotidie modicum de Morte meditaretur. Ita ô! animæ Religiosæ, si in Virtutibus proficere desideratis, & à peccando esse alieni, à Sepulchro, materiam meditandi frequenter summite, Mundi fallaciam, & peccati effectus, ex turpi Cadaveris monstro, tanquam in speculo cognoscite. Assecurat enim S. Augustinus: Nihil sic revocat à peccato, quàm frequens mortis recordatio. Roman. 5.

FEria. 5. Punct. I. Honor, Promotio, favor hominum, Sanitas, Venustas corporis, cæraque similia, qvibus in Orbe gloriantur homines, sunt contingentia & incerta, solùm Decreto inevitabili: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*. Inter illa ergo omnia, quæ desideras vel fugis, ames vel exhorrescas, velis, aut nolis, unica pro te sors inevitabilis: *Semel mori*. Sic igitur vive, ut brevi moriturus. *Punct. II.* Navi devectus, stet, sedeat, Hebr. 9.

vigi-

vigilet vel dormiat, semper tamen littori appropingvat? fluxa vitæ nostræ puncta, quasi in clepsydra, quovis momento decidunt, Sepulchralem cumulum efformantia: Homo enim non tunc primùm mori incipit, dum anima à corpore separatur, sed mox eò instanti, dum vivere incepit, & ultima vitæ nostræ hora, non est illa, quam Mors affert, sed quæ tantùm præcedentem longam Mortem complet. Considera igitur, qualiter omni momento vicinior sis exolvendo Mortis debito? *Punct. III.* Sicut Reus, qui ad suplicium ducitur, manibus ligatur, scalas ascendit, laqueum collo excipit, tota illa actione suspendi dicitur, licet adhuc non pendeat; ita qui ad Mortem continuò tendimus, pugnantibus in nobis qualitatibus, & circumstantibus nos undique periculis, revera semper morimur, quia tota vita nostra, est continua mortis operatio. Si ergo hæc seriò consideres, quid te oro ita in Mundo excæcare potèrit, ut in te ipso, & quovis homine non videas continuò vivam Mortis imaginem?

FEria, 6. Punct. I. Considera certum esse axioma: *Cui contingit nasci, restat mori*: qui enim natus est, certò mori debet, sed tam gravis negotij, in quo felix vel infausta vertitur æternitas, tempus & hora sunt incerta. Unde ipse Christus præmonuit dicens: *Estote*
Luc: 12 *parati, quia hora quâ non putatis Filius hominis veniet.* Omnibus itaque horis vigilandum, ut fideles Servi, venientem Dominum, devoto affectu, & parato animo excipiamus. *Punct. II.* Sepè auditur, qualiter hic fulmine

tactus,

tactus, iste submersus, ille gladio, veneno, latrocinio, aut apoplexia, alijsque insperatis casibus vitam finiverunt, qui sibi diuturnam polllcebantur ætatem. Hinc quilibet etiam nostrum, qui hic sumus; nè fidamus, integræ valetudini, intra, & extra nos mille habemus moriendi pericula: ita quod hodie homo est, & cras non comparet. *Punct.* III. Confidit Juvenis in florida ætate, præsummit Adolescens in viribus robustis, Adultus in sanitate integra, sperat longiorem vitam Senex, quod nondum graviter infirmetur. Sed deploranda horum omnium fallacia, nam Mors Apocalyptico insidens equo, alis instructo, prætervolans cæca falce; non solùm spicas maturas, sed flores etiam heri natos, & viride attollentes caput succidit. Qui ergo hodie sanus es, nè præsummas, cras imò post horam mori potes; unde semper ita vive, quasi brevi moriturus. Apoc 6.

Sabbatho Punct. I. Considera non tam quod alij moriantur, sed quod tu ipse sis certò moriturus. Ut autem feliciter vitæ tuæ claudas scenam, Ars, artium utilissima: nam si hoc opus benè cesserit æternum felix eris; si semel erraveris, nunquam emendare poteris: unico passu indiges, ut à tempore ad æternitatem transeas: primus ad eam gressus, est simul ultimus, quia æternum initerabilis: Si ergo vestigio falleris, æternum perijsti, si benè attigeris, perpetuo felix eris. O! negotium omnium sæculorum, quanta cum cautela tractandum? *Punct.* II. Versus illam partem ordiariè arbor cadit, in quam inclinatur, & rami

ejus propendent: Homo eſt arbor inverſa, in eo plerumque ſtatu moritur, ad quem inclinatur, & eundem paſſiones, tanqvam rami à ſuo progeniti ſtipite prægravant. Ita quod ſi actione tua, & affectionibus propendeas ad peccata, in peccatis morieris, ſi ad Virtutem inclineris, virtuoſus ad Coronam meritorum tranſibis.. Dum ergo tempus habemus, feriò allaboremus, nè in malam æternitatis ſortem incidamus, ſiquidem teſtante Propheta: *Quocunque ceciderit lignum ad auſtrum ſive Aquilonem, ibi in æternum erit.* (Eccle: 11.) *Punct. III.* Si aliquando vidiſti morientem, cogita quod & tu per eandem viam tranſibis, qui ad præſens alligatus ſenſibus, ſenſibilia tantummodò conſideras, poſtqvam ad manus tuas, mortualis data fuerit candela, hujus luminê primò videbis, peccatorum tuorum feſtucas, revera fuiſſe trabes, paleas acervos, & athomos ſcelerum, re ipſa, extitiſſe montes. Quod ergo tibi pro illo ſtatu emendare amplius non concedetur: *Fac nunc, quæ tunc facta fuiſſe voles.*

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Evangelium. *Ductus eſt IESUS in Deſertum à Spiritu, ut tentaretur. Math. 4*

Punct. I. CONſidera qualiter Chriſtus Dominus, paſſus ſit tentari à Diabolo, ut ejus doceremur exemplo, revera Vitam hominum eſſe tentationem ſuper terram; nam habemus intra nos, rebelles paſſiones, quibus continuò moleſtamur, ad extra Mundi & Dæ-

& Dæmonis mille fraudes, quibus impugnamur; In his tamen omnibus, monet Apostolus dicens: *Omne gaudium existimate Fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Non enim est malum sentire tentationem, sed consentire tentationi pessimum. Scito itaque, in varijs ad peccatum incitamentis, sensum discernere, à consensu. *Punct. II.* Nemo Coronatur, nisi qui legitimè certaverit: nemo accipit laboris mercedem, nisi prius opus suum diligenter & exactè perfecerit: Ita quomodo posses Coronam Victoriæ consequi, nisi gloriosè occurrentes vinceres tentationes? qvomodo laudem tuam deprædicaret Ecclesia, nisi in arduis laboribus, vincendarum tentationum strenuè insudares? Undè & in Oratione Dominica petimus, non ut simus à tentatione liberi; sed nè per tentationem in consensum inducamur. *Punct. III.* S. Paulus ter Deum oravit, sed non impetravit, ut à tentatione liber esse posset: qvia pacem sinè bello & pugna, obtinere volebat, quæ non nisi gloriosè decertanti promittitur. Nè igitur concidas animo, quantumvis debilis, & hostes tui potentes, in hoc prælio, non vincitur, nisi qui cupit vinci: qvamdiu quis pugnat, tamdiu non superatur. Felicem te ergo existima, non, dum tentatione non impugnaris, sed quamdiu à tentatore non superaris. Ipseque pugnæ tuæ Diremptor Deus, fidelis est, nec te patietur tentari supra id quod sustinere poteris.

Iacob. 1. | 2. Corint. 12. | 1. Corint. 10.

Medit. super Evang. Feriar. currentium.

FEria. 2. Punct. I. Considera quod hodierno feriali, commoneamur Evangelio, qualiter

Math. 25.

ante Tribunal Christi præsentabimur Judicandi, ut unusquisque recipiat, prout gessit in suo corpore, sive bonum, sive malum. Præmeditare igitur, an Supliciandus, sive Præmiandus in hoc foro comparebis? *Punct. II.* Postquam Anima separata fuerit à corpore hominis, eò instanti, elongatur à Mundo sensibili, nullam amplius habens connexionem cum elementis: non videns lucidum, non audiens sonum, non percipiens odoratum, sed transmigrat in illam horrore plenam Regionem, quam Job appellat: *Terram tenebrarum, & oppertam mortis caligine.* Ubi evanescentibus objectis sensualibus, comparebit elevatò intellectui tremendum Tribunal: in quo Judex Christus est: Dæmon Accusator: Testis propria Conscientia. O! tremendum ultimæ instantiæ Tribunal. *Punct. III* Stant circa Corpus exanime Fratres, facta defuncti laudantes, vel improbantes, nullus tamen novit, quô statu permaneat Anima, unicô momentô, ad felicem, vel infelicem æternitatem decreta: leguntur Missæ, absolvuntur Suffragia, sed proh dolor! sepè sinè hujus defuncti fructu. Potius ergo Fratres dum adhuc vivimus certum ac Salutare nosmetipsi provideamus nobis Suffragium, ut svadet S. Gregorius Papa dicens: *Audeo dicere, quia Salutari hostia post Mortem non indigebimus, si ante Mortem Deo ipsi hostia facti fuerimus.*

Cap 10

FEria. 3. Punct. I. Considera qualiter Christus Dominus, etsi Clementissimum ac Mansvetissimum se exhibuerit erga peccatores; ubi tamen invenit nundinatione profanantes Tem-

Math 21

plum

plum Dei, eosdem flagello ejecit, & magnô zelô Mensas nummulariorûm evertit. Ex qvo disce, qvamvis ubique Dei præsentis meminisse nos oporteat, signanter tamen, si contra ejus Majestatem in Ecclesia, quid irreverenter committamus, grave manus ipsius flagellum, in caput nostrum congregamus. *Punct. II.* In Ecclesia Veteris Testamenti, umbræ solum & figuræ, futuri Novæ Legis Sacrificij peragebantur, & tamen Christus tantô zelô, præcavebat ejus prophanationem: Modo verò in nostris Ecclesijs, ubi jam ipsum figuratum adoramus, verum scilicet Corpus & Sangvinem Christi, ubi gratijs Sacramentalibus ditamur Remissiones peccatorum conseqvimur, Doctrinis Spiritualibus ad profectum Animarum instruimur, ad ultimum & Corpora nostra sepulchralem capient requiem. Nefas igitur est, si hocce Sanctuarium, ubi omnia Sacra & Salutaria peraguntur, irreverentijs nostris prophanemus. *Punct. III.* Deus morte punivit, ultra quinquaginta Bethsamitarum millia, quod Arcam fœderis, parum reverenti occulo aspexerint. Qualis nos maneat Dei pæna? qvi coram tremendo Altaris Sacramento; vagis occulis, dissolutis gestibus, & in frivolos effusi discursus, comparere non exhorrescimus? Reg.6

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, qvaliter expulsus à Christo Dæmon, in idem corpus, unde exivit redire appetat. Ex quo disce statum Peccatoris in hoc esse vel maximè periculosum, si post resipiscentiam à sua mala vita; iterum in anteacta relabatur crimina, per quod Diabolo, in cor suum permittens reditum, Match.12

tum, difficilius eundem à se, qvam primò, relegare poterit. Unde si Dei gratia à te repulisti Dæmonem, cave nè eidem in cor tuum permittas redditum. *Punct. II.* Communi Medicorum judicio, recidivans morbus, difficilius, quam prima curatur Infirmitas: ita etiam dicit S. Chrisostomus Sanitate indignus est, qui semetipsum, postqvam curatus est vulnerat, nec mundari meretur, qui se iterum post gratiam sordidat. Nè itaque indignum te gratia Dei reddas, postquam à peccato mundatus fueris, noli amplius malitias tuas iterare. *Punct. III.* Qvi semel lapsus in foveam, inde extrahatur, à longè imposterum cavet ejusdem periculi occasionem. Tu idem facias, qui è voragine perditionis, per salutarem pænitentiam, animam tuam eruisti, nê iterum per relapsum in peccata, ultrò te in barathrum supplicij æterni spontè præcipites.

FEria. 5. Punct. I. Considera quod Mulier Chananea, Sanitatem Filiæ suæ à Christo impetratura clamaverit: *IESU Filij David miserere mei.* quasi ipsamet esset infirma: quia sinceræ charitatis indicum est, dum Proximorum infirmitates & exigentias, quasi nostras proprias sentimus, & eisdem charitativè succurrimus. Ecce mensuram habes sinceræ charitatis, vide utrum eô modô succurras Proximo. *Punct. II.* Omnes sumus Dei Creaturæ, Filij ejus Adoptivi, Membra Capitis nostri, quod est Christus: ergo nos ad invicem diligere, lege naturæ, & Præcepti obligamur, tanquam Filij, Fratres, & cohæredes gloriæ Cælestis. Si ergo Proximum odio proseqvaris, si-

Mat. 15.

gnum

gnum eſt, quod recuſes eſſe membrum myſtici Corporis Chriſti. *Punct. III.* Dilectio Dei, & Proximi, ſunt duo Dei Præcepta eminentia, in qvibus fundatur univerſa Lex & Prophetæ, ſunt quaſi duæ alæ, quibus ad Deum evolemus, ſicut ergo Avis, unam ſolum habens alam volare nequit, ita dicit S. Auguſtinus: Habens qvis amorem Dei, ſinè amore Proximi, nunqvam ad Deum aſcendet. Cave igitur, nè odio habeas Proximum, ſinè quo ad amorem Dei pervenire non poteris:

De Paſſione Domini.

FEria. 6. *Punct. I.* Tempus Sacræ Qvadrageſiinæ, licet meritò impendendum memoriæ Paſſionis Chriſti acerbiſſimæ, ſignanter tamen ferijs ſextis, hanc amaram contemplabimur tragediam: *Qvis* nimirùm, *quid & pro quo* paſſus ſit. Vide itaque quod ille qui *Deus* eſt, homo factus ſit. Omnipotens ut Latro ligatur. Immenſus, Carcere arctatur, Immortalis, crudeli morte occiditur. Qvod niſi fides doceret, quis crederet? nam ipſis hoc prædicatum *Judæis ſcandalum, gentibus verò viſa eſt ſtultitia* Tu verò crede, & admirare, tam grande Dei opus, qvod amor effecit. *Punct. II. Quid* Chriſtus ſit Paſſus communiter Sancti Patres affirmant, quod ab inſtanti ſuæ Incarnationis, omnia ſuæ acerbiſſimæ Paſſionis viderit tormenta, quæ ſubiturus erat ab Amicis, ab inimicis, à ſua gente electa; Et ſi magna Supliciando fiat gratia, quod ipſius velentur occuli, nè feralis gladij in caput ſuum videat ictum; quantum Chriſto fuit tormentum, dum ab inſtanti conceptionis ſuæ repræſentabantur

1 Corint. 1.

tur ipsi continuò, omnia quæ passurus erat ludibria, contemptus, tormenta & ipsa Mors crudelissima *Punct. III. Proquo* Christus sit passus? considera: Non pro redimendis Angelis rebellibus, sed pro miserrimis hominibus: nec pro Amicis, sed infensissimis per peccatum Inimicis. Et sicut Divino ipsius declaratum est oraculo: *Quod majorem charitatem nemo ha-*
Joan 15 *bet, quam ille qui animam ponit pro amicis suis.* O quam longè major in Christo erga nos fuit amor & charitas? qui Sangvinem Vitam, & animam suam, posuit pro nobis peccatoribus inimicis suis.

Math 17 *Sabbatho Punct. I.* Videns gloriam transfigurati Salvatoris Petrus in Monte Thabor, cupiebat hac felicitate perpetuari, qui tamen fuit reprehensus à Christo, quasi nesciens quid loqueretur; nam volebat ante pugnam palmam Victoriæ, & ante laborem mercedem. Cujus monitô disce prius pro Dei gloria laborare ac decertare, & sic deinde Coronam ac reqviem consequeris æternam. *Punct. II.* Deus primò
Gene 2 Paradisi Colono præcepit *ut operaretur, & custodiret illum.* Pulsus inde, labore & sudore victum quærere debebat. Verbô denique *ho-*
2. Iob. 5 *mo nascitur, ad laborem.* Si ergo vita hominum temporalis, magno labore sustentatur, quantô magis, & majori cum solicitudine Vita comparanda æterna? Nè itaque præsumas apetere, quietem Cælestis Tabernaculi cum Petro, nisi prius labores, & flagelleris cum Paulo. *Punct. III.* Populus Israeliticus ex captivitate Pharaonis, per Mare rubrum, & ardua ac petrosa deserta, quadraginta annis,

ad terram lacte & melle fluentem ducebatur: ut discamus quod non aliter, nisi *per multas* Act. *tribulationes opportet nos intrare in Regnum Dei.* 14. Et idipsum nobis tam ipse Christus, quam Beatissima Virgo & Omnes Sancti, suo confirmarunt exemplo.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Evangelium. *Assumpsit IESUS Petrum Iacobum & Ioannem. Math:* 17.

Punctum. I. IN Monte Thabor, umbram tantum gloriæ Cælestis exhibuit Apostolis Christus, & jam præ excessu solatij, perpetuari ibidem volebant. *Faciamus hic tria tabernacula:* qvantò infinities amplius, erit Beatorum in Cælis gaudium, ubi facie ad faciem contemplabuntur Dei essentiam, & torrente omnium voluptatum potabuntur. Aspirantes igitur & nos ad illam felicem Patriam, ex hoc deplorando vitæ præsentis exilio, dicamus cum Propheta: *Concupiscit anima mea in* Psalm. *atria Domini.* 83. *Punct. II.* Nullus humanus intellectus, comprehendere valet, quanta sint Patriæ Cælestis gaudia, nam Manna hocce absconditum, nemo percipit, nisi qvi gustat. Ibi potentiæ tàm internæ, quàm externæ adæquata perfectione, & plenissimis replebuntur delicijs, nam pro statu viæ sensus nostri, distincta debent habere objecta, ita quod auditu non percipiatur odoriferum, neque gustu visibile; jam verò in illa felici Patria, Deus se

folô, fatiabit omnes hominis potentias, qui ficuti eft infinitæ bonitatis & perfectionis, ita Beatos illos Comprehenfores, infinitis replebit delicijs. Omnes nos bonitate Divina, ad hunc finem creati fumus. caveamus igitur, nè malitia noftra ab eodem deficiamus. *Punct.* *III.* Componenti Tractatum de Beatitudine Auguftino, apparuit S. Hieronymus dicens: Sicut tibi eft impoffibile, immenfum Mare, exiguo claudere vafculo, aut totum Orbem, parvo tenere pugillo, ita fcias longè impoffibilius effe, minimam particulam gaudiorum, & gloriæ, quibus Beati perpetuò perfruantur, ab aliquo Viatore comprehendi; eft enim gloria æterna res tanta, qvantam nisi ipfe viderem, nunqvam crediđiffem, nifi ergò de his per experientiam docearis, impoffibilia fcripto agere conaris. Sordeat ergo nobis terra, dum Cælum afpicimus, ubi tanta Deus refervat diligentibus illum.

F*Eria*. 2. *Punct.* *I.* Obduratis in malo Pharifæis, prædixit Chriftus inqviens: *In pec-*
Ioan. 8 *cato fveftro moriemini.* qvia dum tempus habebant cognofcendi veritatem, & convertendi à vijs pravis, neglexerunt; ideoque etiam hoc ipfo in morte gratiâ converfionis, indignos fe rediderunt. Cura igitur, fi cadas, ut qvantocius refurgens convertaris ad Dominum: ne propter neglectum bonum *velle*, amittas deinde & priveris bonô *poffe*. *Punct.* *II.* Periculofo decumbens morbo ægrotus, fi audiat de fanante efficaciter Medicina, eandem non differt, fed quantociùs fummit, ut convalefcat; & tu præfummes differre Pænitentiam, ubi

hoc

hoc salutari medio, animam tuam à morte æterna curare poteris? Dicis observabo Regulam, sed postqvam hoc triennale finivero Officium. Vivam devotè, sed non in hoc Conventu. Qvanta mentis cæcitas, differre ad annos, qui horam vitæ non habes certam? *Punct. III.* S. Dionysius Carthusianus reffert cujusdam Religiosi Animam his verbis suam infelicitatem deplorâsse: *O! cras cras, quam longam mihi restem fecisti, & in Barathrum Inferni me procrastinando traxisti.* Hæc itaque crocitans Corvi vox, procrastinantis pænitentiam, sit alieno periculo tua cautela, ut hodie conversus ad Dominum, de peccato pæniteas.

FEria. 3. Punct. I. De Pharisæis Christus hodierno dixit Evangelio: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Ex qvo considera, qvod Salvator noster, reprobet opera, quæ ob vanam hominum laudem exercentur. Nè itaque opera nostra similiter Pharisaica reputentur, necesse est, ut ob solius Dei gloriam, animæ nostræ salutem, & Proximorum utilitatem ac ædificationem fiant. Vide itaque nè opera tua alioqvin bona vel optima, hac mala intentione coram Deo vitientur. *Punct. II.* S. Patriarcha noster Franciscus, taliter Fratres suos in moribus & gestibus compositos, ac modestissimos haberi voluit, ut qui eos aspicerent, vivum Sanctitatis exemplar, & corrigendæ vitæ suæ manifestam haberent occasionem. Tu verò si per ista Deo & hominibus simul placere studes, forsan hominibus non placebis, & Deo certè displicebis, pæ-

Math. 23

pænam facti non præmium recepturus. *Punct. III* Ut Deo displiceas, satis est, ut in bono quod agis placere hominibus cupias, dicente Christo: *Attendite ne justitiam vestram faciatis, ut videamini.* Statue igitur non tantum laudes hominum vanas non qværere, sed imò contemnere, & qvid qvid facis pro gloria Dei solius agere, & sic ab ipso perenni gloria & honore coronaberis, quamvis ab hominibus contemnaris.

Math 6

FEria. 4. Punct. I. Considera qualiter Christus Dominus retundens Apostolorum suorum ambitus, eosdem docuerit dicens: *Primus erit vester Servus.* Ex quo doceamur, in prosperitate, & quibusvis successibus, nunquam alta sapere, sed semper de se humiliter sentire: memores propriæ originis, qui cum simus pulvis & cinis, licet ergo vento tumentis sæculi in sublime attollamur, paulò post tamen iterum in terram reversuri. *Punctum II.* Naturam hujus vitij S. Bernardus explicat dicens: Ambitiò est subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli opifex, Mater hypocrisis, livoris Parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea Sanctitatis, & ex medicina generans langvorem. Vide qvanta mala una *ambitio* inducit in animam. *Punct. III.* Vitium ambitionis, non solum Divites, sed etiam Religiosos pauperes inficit, dicente S. Climaco: *Iejuno* & ecce inanem gloriam quæro, antro Eremi abscondor, sed devotus videri appeto, splendidè vestitus, ab illa vincor, vili habitu tectus, pro mortificato æstimari quæro, loquens vincor, tacens

Math 20

victùs

victus sum, utcunque projeceris istum tribulum, aculeus semper stat rectus. Omni igitur statu, officio & conditione, & tu qui hæc legi audis, custodi opera tua, nè hoc secreto ambitionis veneno coram Deo inveniantur corrupta.

Feriæ. 5. *Punct. I.* Dives Epulo in tormentis Infernalibus exclamat: *Crucior in hac flamma.* Inter omnes enim damnatorum cruciatus, præcipuum est ignis tormentum, quamvis enim sit materialis, virtute tamen Divina, elevatur in summo gradu ad torqvendos Dæmones & Animas, ac postmodum etiam corpora damnatorum, urens nec tamen per totam æternitatem, vel unum capillum consummens.. Unde admirabundus qværit Propheta: *Qui ex vobis poterit habitare cum igne devorante!* *Punct II.* Ignis noster sublunaris, tantùm differt ab infernali, qvantum pictus à verò igne, nostrum enim elementarem, in tali activitate ordinavit Deus, ut sit conveniens servitio humano; Infernalem verò per potentiamobedientialem elevavit, ut sit crudelis *minister* Justitiæ ipsius vindicativæ, torquens æternaliter tam Spiritus, quam corpora damnatorum. O! terra miseriæ, & populus infelix, *cui iratus est Dominus in æternum? Punct III* Ignis infernalis, nullam producit lucem, sed est mera horribilis calligo, miro tamen modo, illa repræsentat spectra, quæ visum damnatorum cruciant, urit sinè momento intermissionis, ab instanti condemnationis cujuslibet absorbens animam quocunque locô fuerit: torquet qvemlibet plus vel minus proqvalitate & gra-

Luc: 16.

Isai. 33.

Malach. 1.

gravitate culpæ, utrobique tamen acerbissimè. Cave qui hoc audis, *nè & tu venias in hunc locum tormentorum.*

Meditatio de Passione Domini.

FEriæ 6. *Punct.* I. Considera, sicuti illa, quæ passurus erat tormenta Christus, toto Sanctissimæ vitæ suæ tempore, Divino ipsius repræsentabantur intellectui, ita ineffabiliter Sanctissimam ejus torquebant animam, eò crudelius, quô distinctius, singula penetrabat, secundum omnes circumstantias, & modos crudelitatis, ac fructum indè non omnibus efficaciter profuturum: de quo vel maximè lamentabatur per suum Prophetam dicens: *Quæ utilitas in Sanguine meo?* Sattagamus igitur Fratres, ut quæ Christus sit passus, tantus ejus sudor & labor nè fiat in nobis cassus. *Punct.* II. Sub ipsum tempus dolorosissimæ Passionis, sputa, colaphi, flagella, spinæ, clavi, Crux ipsa, corpus solum Christi aliquot horis torqvebant, sed ab instanti conceptionis, per omnes triginta tres vitæ suæ annos, viva istorum omnium repræsentatio, qvantùm ejus Sanctissimam torqvebant animam? quis explicabit? tu o! Religiosa anima, qvantum vales, amarô recollige singultu. *Punct.* III. Quàm multi post latam feralem in suum caput Sententiam, præmaturâ canicie, vel sibi metipsi illata morte, aut cordis pressurâ exanimes facti, suplicij sui prævenerunt executionem; nam horribilius cor, & animam ipsorum, fortis cruciabat imaginatio, quàm quod Carnifex, discruciaturus erat corpora. Attendite igitur & videte, si est dolor, sicut dolor Christi, omnes suas futuras prævidentis carnificinas? Sab-

Psal. 29.

Sabbatho. Punct. I. Magna animi voluptate, miseris Peccatoribus, hodierno proponitur Evangelio, qualiter Filius Prodigus, facti pænitens, ad Patrem suum revertitur, amoroso ejus sinu excipitur, anulo, & prima stola donatur, singularique Paterni affectus exhibitione consolatur. Sed quod Evangelica enarrat Parabola, hoc itidem Christus S. Mechtildi revelavit dicens: *Nullus est adeò magnus Peccator, quin si verè pænituerit, mox illi omnia peccata plenè dimittam, & cor meum tanta clementia, atque dulcedine super ipsum reclinem, ac si nunquam peccasset.* Cum summa itaque alacritate miser peccator, accurre ad pedes clementissimi Salvatoris, & dicito: *Pater peccavi. Punct. II.* Filius Prodigus verum est, quod contemnens Domum Paternam, dilapidavit acceptam portionem Substantiæ, vivendo luxuriosè, injuriavit Familiam, vilem sequendo porcarij conditionem. Sed tu pejora fecisti, dum per peccatum, à sinu Patris Cælestis teelongasti, pretiosa gratiæ dona, vivendo in omne nefas dissolutus amisisti, & ex Filio ejus *adoptivo*, mancipium carnis & Dæmonis te fecisti. In hoc adhuc Filio prodigo pejor, quod ille semel facti pænitens, ad Patrem reversus, nunquam legitur amplius, ab eo recessisse. Tu veró o! qvoties Patri Cælesti quasi illudens, ab eo, ad spurcas Mundi & carnis siliqvias reverteris? *Punct. III.* Considera quod Pater Filium suum Prodigum, in domum Paternam non revocaverit, pro ipso nuntios non miserit; neque eidem Paternam pollicitus sit benevolentiam, sed tantum suâ spontê reversum, beni- Luc: 15.

benignè in gratiam recepit. Nos verò Patris Cœlestis Filij Prodigi, qvantis ab eo monitionibus, ad reditum invitamur, gratijs trahimur, promissionibus allicimur, & tamen duræ cervicis homines, ad Patrem amātissimum redire nolumus.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Evangelium. *Erat IESUS ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Luc. 11.*

Punctum I. COnsidera Dæmonium à Christo ejectum fuisse mutum, non quod revera Dæmon ille esset mutus, sed quia se talem dolosè finxit silentiarium, quæ est multum Deo odibilis hypocrisis. Dæmonium igitur mutum immitaris, & hypocrita es, dum sola specie Habitus externi, præsentas te Religiosum, corde verò sentis, ac secretis latibulis ea facis, non quæ sunt Religiosi, sed dissoluti hominis passioni servientis. Falso igitur fingis, quod non es, cùm Deus te videat, & palam faciet Mundo, quis revera sis. *Punct. II.* Christus Salvator, videns. Ficulneam non habentem fructum, sed solis virentibus folijs explicatam, malèdixit ei, & arefacta est. S. Bernardus per hanc ficulneam, intelligit hyppocritas, qui non nisi folia, idest exteriorem Sanctitatis apparentiam præseferunt, sed fructu bonorum operum re ipsa carent. Metuamus igitur Fratres, nè postquam instante morte, visitaverit nos Dominus, tales adinveniat hypocritas,

tas, ac ita maledictione ejus arefacti, æternis adjudicemur incendijs. *Punct. III.* S. Gregorius describens naturam hypocritæ ait: Quid est vita hypocritæ? nisi visio quædam phantasmatis, ostendentis in imagine, quod non habet in veritate. Ex quo facilè colliges an sis in veritate Religiosus, vel potius phantastica Religiosi imago, si sola exteriori specie præseferas Virtutem, re ipsa autem nec eandem habeas, neque habere cures.

Medit. super Evangelium feriar currentium.

FEria. 2. *Punct I.* Christus Dominus hodierno dixit Evangelio: *Nemo Propheta acceptus est in Patria sua.* Quia communiter livor *Invidiæ*, non fert libenter alium gradu, vel altiori dono præferri, quos originis & nationis conditio pares fecit. Tu tamen non quod fomes invidiæ dictat, sed prout Lex Charitatis præscribit, de bono, & dono Proximi, quasi de tuo proprio læteris. *Punct. II.* Fratres oderant David, eò *quod plus cunctis à Patre amaretur.* Nam sicut dicit Doctor Angelicus: Horribile est odium *invidia*, quia omnia motiva amoris, vertit in oppositùm. Gratis igitur alieno successu affligis te ex *invidia*, qui alias magnum haberes solatium & meritum, certando sincera cum Proximis charitate. *Punct. III.* Libro Sapientiæ dicitur: *Invidia Diaboli, mors introivit in Orbem terrarum.* Et dat rationem S. Thomas: Diabolus quippe homini invidebat, quem sibi superiorem futurum putabat, si illuc ascenderet undè ipse ceciderat. Membrum itaque invidi Dæmonis est, qui Proximo gradum aut successum, quem ipse assequi non valet, invidet.

Luc: 4.
Genes. 32.
Sapient. 2.

Math. 18 *FEria. 3. Punct. I.* Cæleſtis Magiſter hodierno Evangelio docet, Correctiones Fraternas non prætermittendas, nam dicit Prophe-
Iob. 5. tà: *Beatus homo qui corripitur, & increpationem non reprobat.* cui ſubſcribit Salomon. *Qui au-*
Prov. 15. *tem abjcit diſciplinam, odit animam ſuam.* Qui ergo fragilitate conditionis noſtræ, ſepius in varios deffectus labimur, correctionis & monitionis ad ſurgendum juvamen, libenter amplectamur. *Pnuct. II.* Signum eſt quod infirmus deſperatæ ſit ſanitatis, qui ſalubrem non vult ſumere medicinam: ita in defectuoſis animæ infirmitatibus, dum Spiritualium admonitionum reſpuis Medicinam, periclitatur ſalus tua. Sicut dicit S. Climacus: Si quis increpationem ſive juſtam ſive injuſtam à ſe abijcit, hic ſuam ſalutem contemnit, qui verò eandem libenter ſuſcipit, cito delictorum ſuorum remiſſione potietur. Ecce quam ſit ſalutaris deffectuum correctio, ſed vide quo animo eandem ſuſcipias? *Punct. III.* Cornelius à Lapide, magnæ Sanctitatis commemorat Virum dicentem: Mundum nulla alia de cauſa magis perire, quam ob Luxuriam, & omiſſionem Correctionis Fraternæ. Qui ergo tibi à priori ſcelere caves, ſecundam Virtutem dum occurrit ſupportanda, libenter amplectere.

FEria. 4. Punct. I. Conſidera qualiter Chriſtus Dominus miſeram cæcitatis conditio-
Math. 15. nem explicet dicens: *Cæcus cæcum ducit, & ambo in foveam cadunt* cujus occaſione vide, quod licet cæcitas corporalis, magnus ſit deffectus, quia privat hominem beneficio videndi, quid

quid quid pulchri, & spectabilis totus Orbis habet: sed *cæcitas mentis*, longè pejor est, nam omnia dona gratiæ, quibus nos Deus in præsenti vita ornat, & per hæc ad æternam felicitatem disponit, non videt, neque pericula perditionis animæ considerat. Clama igitur ad Dominum, ut te ab hac infelici liberet cæcitate. *Da Domine ut videam.* *Punct. II.* Peccatum mortale, cùm sit tam grande malum, quod illud nedum humanus, sed neque Angelicus intellectus sufficienter capere possit. Dæmon itaque excæcat hominem, nè ejus consideret enormitatem. Qvis enim sani judicij, resolveret se præcipitare in foveam si eandem sub pedibus, patentem videret, aut quis summere poculum veneno infectum, si de hoc sciret? Ecce revera cæcus es, dum peccando taliter incedis, quod brevi in abyssum infernalem sis casurus, dum in momentanea dulcedine, mortiferum degustas venenum. *Punct. III.* Charitatis & amicitiæ Christianæ obligatio est, monere aut retinere, nè cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadant. Mundus ductor cæcus est, quia cum suis amatoribus, non nisi cæca ludit fortuna. Peccator cæcus est, quia non considerat, quo vadat. Clamat itaque supra nos Doctor Gentium; *Videte quomodo caute ambuletis.* Nè Ephes.5 & vos Religiosi, proprijs cupiditatibus excæcati, post Mundum & carnem abeuntes, in barathrum supplicij æterni incidatis.

FEria. 5. Punct. I. Dum Christus prædicaret, & doceret turbas, detinebant eum, non valentes sufficienter suis Cælestibus satiari doctri-

Luc: 4 ctrinis, quibus respondit: *Oportet me & aliis Civitatibus, Evangelizare.* Ex quo disce, quod docere alios, quæ ad salutem pertinent, non tam humanum quàm opus sit Divinum, affirmante S. Dionysio: Divinissimum est omnium Divinorum operum, cooperari in salutem animarum. Qvid qvid igitur poteris, verbo exemplo, & Oratione prodesse saluti Proximorum, diligenter impende, & maximi apud Deum meriti opus perficies. *Punct. II.* Cujuslibet hominis Anima, pro statu gratiæ, tantæ est excellentiæ pulchritudinis & dignitatis, quod Filia, & Sponsa Dei dici mereatur juxta illud

Osc. 2. Prophetæ: *Sponsabo te mihi.* Ipse enim Christus dixit S. Brigittæ: *Si videres Spiritualem pulchritudinem animarum Sanctarum, corpus tuum, quasi vas corruptum & putridum propter gaudium rumperetur.* Dum ergo peccatoris animam ad pænitentiam revocas, tam gratum Deo facis obsequium, quàm si ejus Sponsam à morte redimas. *Punct. III.* Christus pro conversione & salute Peccatorum, triginta trium annorum suæ Sacratissimæ vitæ impendit labores, jejunia contemptus, ipsamque crudelissimam mortem dignatus est pati; Si ergo labore, doctrina, vel bono exemplo Salutem

1. Co-rin. 3 Proximi zeles, juxta Apostolum: *Dei adjutor.* dici mereris, & gratissimum Deo offers Sacrificium, dicente S. Gregorio: Nullum arbitror tale esse Omnipotenti Deo Sacrificium, quam sit zelus Animarum. Cura igitur, ut hoc dignè & diligenter exequaris.

Meditatio de Passione Domini.

FEria. 6. Punct. I. Considera Sanctam Eccle-

siam,

ſiam, profunda venerari admiratione, quod Verbum Patris æterni Filius: *Suſcepturus hominem, non horuit Virginis Uterum.* Hic enim ſicut ab inſtanti ſuæ Conceptionis, & quâ Homo habuit clariſſimam omnium intelligentiam, & perfectum uſum rationis, ita ubi cæteri hominum infantes in Utero Matrum ſuas non cognoſcunt miſerias; ille ſolus jam tunc illum obſtruſum & tenebroſum Virginalis Uteri Carcerem & coarctationem, liberè novem Menſibus pati dignatus eſt. *Punct. II.* Conſidera, quod Corpus Chriſti, ex puriſſimo Beatiſſimæ Virginis Sangvine, in ipſius Utero fuit â Spiritu Sancto miraculoſè formatum, & res per miraculum factæ, ſemper eſſe ſolent perfectiores, quàm quæ fiunt à natura: unde ſequitur, quod Corpus Chriſti, perfectiſſimæ fuerit complexionis, & organa illius optimi temperamenti, qvam ob cauſam S. Bonaventura affirmat: in pedibus Chriſti Domini calloſam duritiem ſenſibiliorem fuiſſe, quàm ſit apud cæteros homines tenera occulorum & pupillarum compages. Ex quo vide quod Amabiliſſimus Salvator in Paſſione ſua, longè fuerit ſenſibilior, ad omnia corpori ſuo inflicta verbera & vulnera, quàm omnes cæteri homines. *Punct. III.* Dura Lex Moſaica, ad Circumcidendos Infantes, à nativitate octavum præſcripſit diem, ut ſui corporis perferant cruciatum, dum adhuc defectu uſus rationis, non intelligunt ſe pati. Chriſtus Dominus verò, jam tunc plenus Sapientia & perfecta omnium intelligentia pollens, ſenſit ac cognovit atrociſſimum in ſua Circumciſione do- Levit.

 lorem:

lorem: quod cæteris infantiæ negant impedimenta, ille solus in tenello corpusculo, & frigus nascens in stabulo, & famem, & mille itineris incommoda fugiendo in Ægyptum, advertenter pati dignatus est.

Joan. 8. *Sabbatho Punct. I.* Occasione deprehensæ Mulieris in Adulterio, quam Pharisæi adduxerunt ad Christum Dominum considera: quod *carnale peccatum*, quamvis sit enormissimum, quia tamen miseri carne constamus, ideoque hunc execrandum hostem, semper domi habemus. Roga itaque Deum ut tibi ingentem hujus peccati horrorem injiciat: & tu magnam ad id evitandum cautionem adhibe. *Punct. II.* Gravitas *culpæ*, agnoscitur ex gravitate & atrocitate pœnæ: nullum autem peccatum Deus gravius punivit, quam peccatum carnis; hujus enim occasione, pænituit eum creasse Mundum: Aquis Diluvij extinxit omnem animam viventem super terram: Pentapolim igne de Cælo depluente subvertit: Viginti quatuor millia Israelitarum occidi voluit: fidelem servum David, severissimè punivit: Salomonem fortè condemnavit: ac denique juxta revelationes Sanctorum Patrum, pro hoc peccato, plurimi quotidie damnantur. Qvi ergo lactea adhuc innocentiæ via incedis, cave tibi, nè in has Deo odibiles sordes corruas. *Punct. III.* Peccatum *carnis*, præterquam, quod gravissimis â Deo, castigetur pænis, infelicem etiam in his sordibus causat obstinationem, ita quod S. Chrisostomus affirmet: Tam difficile libidinosum castitati, quam mortuum vitæ restituere. Et sicut cætera Vitia pugnâ,

[Margin: Numer. 25. 2. Reg. 15.]

ita hoc unicum fugâ vincitur. Nullus itaque suæ confidat Sanctitati, sive juvenili, adultæ, ac decrepitæ ætati, sive Solitudini, sive centies, ac millies reportatæ Victoriæ, quousque vivis semper eundem subdolum hostem, in te ipso foves. Time igitur nè post multas Victorias, tandem enormiter victus pereas.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Evangelium. *Abijt IESUS trans Mare Galileæ, & sequebatur eum. Ioan. 6.*

Punct. I. Miraculum illud, dum Christus satiavit quinque millia hominum, mirabatur populus, non qvod Providentia Dei sustentante continuò totum Mundum majus esset, sed quia visui rarum accidisset. Non quæramus nos miraculi raritatem, sed suppliciter adoremus Providentiæ ipsius continuam circa nos benignitatem, qui re & Professione pauperrimos, victu, amictu, omnibusque necessarijs, sufficienter providere dignatur. *Punct. II.* Considera qualiter Leones, in lacu Darij Regis, quorum curam Aulæ Præfectus habebat, præ fame rugiant, Daniel verò in medio ipsorum captivus, mirâ Dei providentiâ, asportato de Babylone prandio, abunde pascitur. Ut discamus, in omnibus præsentis vitæ exigentijs, succursum, non tam ab humanis auxilijs, quam primariò à Divina expetendum Providentia. *Cujus occuli sunt*

Daniel. 14.

Psal. 32. *super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.* *Punct. III.* S. Paulus de
2. Corint. 11. Corinthijs recenter ad fidem conversis scribit: *Angustiati in labore & ærumna, in fame & siti, in frigore & nuditate.* Quomodo ergo Deus Servos suos patitur tantis affligi penurijs, qui nec malevolis sua deest Providentia? Respondet Cornelius à Lapide: Quod Deus per tales ærumnas, Servos suos disponit ad Vitam æternam, eorumque per hujusmodi penurias, auget meritum; promittens igitur temporalia; si pro eis substituat Spiritualia, quæ longè sunt majoris pretij, utique promissis stetisse dicendus est. Dum ergo Religiose Frater, ad tuum velle & gustum, non habes quod optas, non Providentiæ defectum, sed Patris Cælestis cognosce erga te affectum, qui via majoris meriti & patientiæ, vult te ad Cæleste conducere Convivium. Vide igitur, nè tua impatientia & murmure, hac felicitate priveris.

Medit. super. Evangel. feriar. currentium.

FEria. 2. *Punct. I.* Postquam Christus Dominus vendentes & ementes deprehendisset in
Joan 2. Templo, *fecit ex funiculis quasi flagellum*, & illos expellebat profanatores. Ubi considera immensam Salvatoris nostri clementiam, qui in hac vita, ad castigandos peccatores, non flagellum, sed tantum quasi apparens flagellum adhibet: nam omnes præsentis vitæ ærumnæ, afflictiones & martyria, in comparatione futuræ vitæ pœnarum, umbra solum, & quasi apparentia flagra sunt. Dum ergo à Deo
S. Augu. flagellaris, gaudenter dicito: *Domine hic ure,*

hic seca, modò in æternum parcas. Punct. II. Deus in præsenti vita, flagellat nos adversitatibus, uti Filios, amantissimus Pater, ut futuras Purgatorij pœnas evadamus, vel ut augmentum gloriæ, per patientiam mereamur; in altera verò vita punit, ut Judex severissimus. Nè itaqve sentias vindicem severi Judicis gladium, libenter in hac vita exosculare, castigantem te benignè Paternam manum. *Punct. III.* S. Gregorius dicit: Signum æternæ reprobationis est, quando Deus nullum flagellum homini infligit in Mundo. Quod confirmat. S. Aqvinas inqviens: Qui non flagellantur, non sunt de numero Filiorum. Scias itaque Paternæ Dei manus apretiare flagella, ut perinde Filius ejusdem esse merearis.

FEria. 3. Punct. I. Christus Dominus præmonebat Judæos dicens: *Nolite judicare secundum faciem.* Hoc enim modo facilè *judicio temerario* Proximus condemnatur, qui coram Deo innocens habetur. Nè itaque hoc gravi delicto conscientias nostras oneremus, quantùm ex nobis est, Proximos semper sincerè diligamus, facta verò eorum judicijs Dei committamus. *Punct. II.* Non sis Vitæ alienæ censor, si ex Officio ad te non pertinet, imò & quæ mala videntur, in bonam partem interpræteris, aut si factum non potes, saltem intentionem excusa, temetipsum pejorem omnibus credendo: & sic juxta Apostolum: *In quo judicio alium judicas, & ipse coram Deo misericorditer judicaberis. Punct. III.* S. Bernardus à Qvinta valle, visus fuit in gloria Cælesti singulariter eminere, majorisque claritatis fulgo-

Ioan: 7.

fulgore, multos præcellere, eô quod Fratrum Religiosorum dicta & facta, semper in optimam partem interpretabatur, neminemque sinistrè judicavit. Ut ergo & tu coram Deo glorificeris, de omnibus benè sentias ac loquaris, qui te non Judicem, sed charitativum interpretèm facti alièni habere voluit.

Ioan: 9. FEria. 4. *Punct.* I. Qvamvis Parentes, illuminati à Christo cæci, scirent eundem filium suum fuisse cæcum natum; examinati tamen à Pharisæis, timebant fateri veritatem: Qvi enim humanos aucupantur respectus, sepissimè & bona omittere, & mala committere non verentur. Considera igitùr facta tua, utrum propter placitum hominum, Deo non
Ioan: 19 displiceas? *Punct.* II. Pilatus maluit Christum innocentem ad Mortem condemnare, qvam Cæsari & Judæis displicere. Hoc & tu facis, quoties humanos respectus, conscientiosæ præfers obligationi. Potius ergo omnium pedibus conculceris, centum securibus caput submittas, mille paratus sis subire mortes, quam
Math. 16 semel propter humanos respectus Deum offendas. *Punct.* III. Ipse Christus dixit: *Quid prodest homini, si Mundum universum lucretur animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ergo licet omnium hominum in tui æstimationem lucreris corda, in plausum honoris convertas occulos, si Deo displicueris, nihil aliud, quam tui interitum, Animæq; damnum consequeris.

FEria. 5. *Punct.* I. Postquam Christus Dominus suscitasset à Mortuis filium Viduæ,
Luc: 7. *Omnes accepit timor.* Cujus occasione attentè considera, miranda Vivificantis, & Mortifi-
cantis

cantis Dei in Mundo opera, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: ut ex his & tu excites in te Timorem Dei, qui plurimùm utilis est Sanctis, ut sibi à lapsu caveant: necessarius est lapsis, ut quantocius resurgant: Salubris est Pœnitentibus, ut dolore, proposito, & satisfactione, Animam suam à perditione eruant. Timete igitur Dominum omnes Servi ejus. *Punct. II.* Qvi pretiosum balsamum, viâ lubrica, & fragili fert vitro, pavet & cavet, nè cadens illud effundat. Exquisiti fructus ac flores, muro & sepibus diligenter custodiuntur, Nos igitur, qui portamus thesaurum, in vasis fictilibus: flores & fructus sumus, ad gustum Cælesti Sponso nati: o! qvanto cum timore & cautela, custodire nos debemus, nè in lubrico hujus vitæ statu, collisi, & sæcularis auræ pruina decocti, quod Cælo gratum in nobis habemus, miserè amittamus. *Punct. III.* Propheta dicit: *Timor Domini super omnia*: id est super omnia *bona*, tanquam eorum custos nè amittantur: super omnia *mala*, tanquam strenuus repræssor, nè animam occupent: super omnia *transitoria*, tànquam prudens contemplator, ut parvi pendantur, & ideo subditur: *Beatus cui donatum est habere timorem Dei*. Cum metu igitur Fratres & tremore salutem vestram operemini.

Eccl. 25. ad Philip. 2.

Meditatio de Passione Domini

FEria. 6. Punct. I. Christus Dominus meritò in Passione sua dicitur: *Vir dolorum*, quia omnes potentiæ tam internæ quam externæ, omnes Sensus & membra sui Sacratissimi Corporis crudelissima subierunt tormenta. Unum

Cor,

Cor ipsius Sanctissimum, legitur, non nisi quod
Ioan. 19. postqvam expirasset: *Unus Militum lanceâ apperuit.* Ubi considera, illud ferale Vulnus, nullum Christo post mortem causasse dolorem; qvia jam prius toto suæ Sanctissimæ vitæ tempore, durissimos sustinuit cruciatus. Cætera ejus membra uno die passa: solum *Cor* Sanctissimum, triginta tribus annis, diversis cruciabatur tormentis. Ad hoc igitur salutis tuæ ostium plorans sede spectator, & cum Augustino recogita: *Quanta in hoc Sacratissimo latere, lateat amoris vehementia? Punct. II.* Considera, quantum *Cor* Christi à sua Conceptione dilaniaverit hominum ingratitudo: dum in propria veniens, sui eum in Diversorijs Bethleemiticis non receperunt, sed abjectus in Stabulo vilissimo extra Civitatem nasci debuit. Progressu vitæ, esto de stirpe esset Sacerdotali Levitica, & familia David, non nisi abjectus Filius fabri vocabatur: in suis Prædicationibus à Pharisæis contemptus, in miraculis falsò judicatus in Passione denique Matris dolore, Apostolorum deffectione afflictus ac omnibus opprobrijs & ludibrijs expositus fuit. O! millena Cordi JESU infixa jacula, quàm immane tota ipsius vita protraxi-
Ioan. 19. stis tormentum? *Punct. III.* Stans sub Cruce Discipulus, suô reffert Evangeliô: *Unus Militum lancea Latus Christi apperuit*: ubi S. Aquinas reflectit; quod non dicat: *Vulneravit*, sed *aperuit: quia per hoc latus aperuit nobis ostium vitæ æternæ.* Si ergo o! anima Religiosa, salutem animæ consequi exoptes, ad hocce Ostium attentus vigila; jam Cor JESU, decursu totius ipsius vitæ satis crudeliter fuit excarnificatum; In Cruce verò tantum aperitur, ut

per

per hanc portam, & salutare ostium, patens sit tibi accessus in Vitam æternam, nè ergo tantam Salutis tuæ negligas facilitatem.

Sabbatho Punct. I. Christus sequentibus se dixit: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Joan. 8.
Quia sicut viæ hujus Mundi, non sunt nisi lubricum & tenebræ, perniciosum Viatoribus sternentes præcipitium, ita Christus Salvator noster, est Via, Veritas & Vita, luxque clarissima, quam sequentes, tuti & securi ad Patriam æternæ felicitatis perveniunt. Hunc ergo solum sequere, si non vis errare. *Punct. II.* Milites suum seqvuntur Ducem, ejus mandata, nutus, exercitia, prompto exeqvuntur animo; Ita & nos Ducem nostrum Christum secuti, Militaris nostræ Professionis regulas, ad mandata & nutus ejus custodire obligamur. Sed reflectat hic quisque conscientiam suam, utrum has non negligat, & imò potius ad Castra inimici non deflectat? *Punct. III.* Dux Abimelech, ad Artem prælij, animando Exercitum contra inimicos: dixit *Quod me videritis facere, hoc & vos facite.* Idipsum Dux noster Christus, Iudic: 7.
reqvirit à nobis, ut per Obedientiam Paupertatem, Castitatem, & cæteras Virtutes, seqvamur Sanctissimæ Vitæ ac Passionis ejus vestigia, Considera itaqve, utrum non sis potius fictus & pictus, quàm verus immitator, ac Miles Christi? qui non ipsum vocantem, sed Mundum blandientem, & sensualitatis ductum sequaris? Pete ab eo gratiam, ut tuam etiam rebellem compellat voluntatem, eâ ambulandi via, quam tibi suis exemplis monstravit, ut ejus sequendo vestigia assequaris & gloriam.

DOMI-

DOMINICA PASSIONIS.

Proponuntur puncta ad meditandum super Passionem Domini nostri JESU Christi usq; ad Sabbathum Sanctum.

Punctum I. QUamvis omni tempore, meminisse nos opporteat Passionis Christi, tanquam unici Salutis & Redemptionis nostræ pretij, vel maximè tamen sicut monet S. Lêo Papa: Devotionem nostram præsentes dies exigunt, quibus hocce Redemptionis nostræ stupendum opus, peractum est. Qui ergo corporis gressibus Hierosolymam proficisci non valemus, saltem pijs affectibus, in contemplanda Christi Passione, ubi manemus occupemur. Ut totus nobis figatur in corde, qui amore nostri fixus fuit in Cruce. *Punct. II.* Meditatio Passionis Christi, est medium efficacissimum ad consequendum profectum spiritualem, dicente S. Bonaventura: Si vis ô homo! de Virtute in Virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quanta potes devotione, quotidie mediteris Passionem Domini, quia hæc mentem â terrenis alienat, & non solùm reddit Angelicam, sed Divinam? Vide, quam sis diligens in hac recolenda? *Punct. III.* Per subseqventes dies, vade pia contemplatione ad Montem Myrhæ plorans spectator, & ab Horto Gethsemani, usque ad locum Calvariæ, per singulas considera Stationes qvanta pro te benignissimus Salvator pati dignatus est, sisque ejus dolorum, non solùm pius contemplator, sed etiam studiosus immitator,

S. August.

in

in *Corde*, per fincerum affectum, in *manibus* per operofum effectum, *in pedibus* verò per immitabilem profectum.

FEria. 2. *Punct*. *I*. Confidera qualiter Chriſtus Dominus finita ultima Cæna, profectus fit in Hortum Gethfemani, ubi fepè totas noctes in fundendis Orationibus impendebat: avulfufque ab Apoftolis ad jactum lapidis, ac prôcidens in faciem fuam, maximo cum fervore Oravit. Difce hic o! Anima Religiofa, à Cælefti tuo Magiftro orandi modum, & fimul erubefce, quod hactenus tepidis, diftractis & diffolutis tuis fub Oratione moribus ac geftibus, magis offendere, quam laudare Deum confveveras. *Punct*. *II*. Infpice trifte fpectaculum, qualiter Redemptor Orbis, tertiô eundemOrationis fermonem repetens, proftratus in terram, abforbetur amaro lachrymarum profluvio, tremens ac palefcens, factus in agonia, Sangvineum diftillat fudorem. Ut itaque tuæ Orationes, fint Deo acceptabiles, junge eafdem cum hac Chrifti Oratione, & ejus exemplo, quid quid petis, non aliter exores, quam refignato in Divinam voluntatem animo. *Fiat voluntas tua*. *Punct*. *III*. Confidera qualiter perfidus Judas, dolofo ofculo, tradat Judæis Salvatorem, cum quo paulo ante in ultima Cæna dulces capiebat cibos: ubi tànquam furiofi tigrides, in manfvetiffimum irruentes Agnum, funibus, & ferali ftringunt catena, projectum in terram, opprobriofè conculcant, haftis & pugnis propellentes, immifericorditer per afpera viarum offendicula, ad Judices raptant. Sequaris & tu, anima Religiofa,

Ioan. 18

giosa, duris mortificationum vijs, Amabilissimum Salvatorem, simulque Ora, ut crudeliter ligatus, misericorditer solvat tuorum vincula peccatorum.

FEria. 3. Punct. I. Considera qualiter innocens Salvator, adductus, primò ad Annam Pontificem, stat totus livida facie, dilaceratis crinibus, lachrymis & Sangvine manantibus oculis, manibus post tergum ligatis, à quo de doctrina & Discipulis interrogatus, humiliter respondet: crudeli tamen Militis manu, tam graviter in faciem ceditur, quod corruenti in terram, turbato cerebro, commotis dentibus, Sacratissimus Sangvis è naribus oculis, ore, & auribus copiosè effluxerit. Erubesce hic Anima Religiosa, quod ad minimum læsionis tuæ verbum, in vindictam accendaris: disce à tuo Cœlesti Magistro, quantumvis acculeata; patienter ab alijs sufferre verba, qui amore tui, non est dedignatus, dura pati verbera. *Punct. II.* Intempesta nocte, à Sacerdote Anna, vinctus Salvator ducitur ad Caipham, qui eum furenti vultu, ac torvis aspiciens oculis, superbè examinat, probrosè irridet, contemnit, & ad fœtidum Carcerem detrudi mandat, ubi ab insolenti Cohorte, quanta passus sit per totam noctem opprobria, ipsi Evangelistæ exhorruerunt scribere. Per has igitur Carceris ærumnas, ora benignissimum Salvatorem, ut tibi clementer parcat, quid quid contra Divinam ejus Majestatem, secretis deliqvisti latibulis. *Punct. III.* Summo mane sistitur Christus Judici Pilato, sed rursus ab eodem mittitur ad Herodem, coram quo con-

side-

ſidera, qûomodo ſtat innocentia, sinè Advocato, Veritas sinè Patrono, Verbum sinè Voce, non enim meruit Rex iſte, audire Chriſtum loqventem, qui paulò ante iniquo Saltatricis voto, clamantis Præconis, eripuerat vocem. Diſce exemplo Chriſti, cautè lingvam tuam cuſtodire, ut hac non niſi ad promovendam Dei laudem, Proximorum, & tui ipsius utilitatem utaris.

FEria. 4. Punct. I. Spretus & illuſus Salvator ab Herode, remittitur judicandus ad Pilatum, quem iniqvus Judex ſciens Juſtum ac Sanctum, voluit quidem à morte liberare, ſed ſimul placendo Judæis, reſolvit ſe eundem criminaliliter condemnare. Idem & nos facimus, dum ſtimulante conſcientia, & conclamantibus ſuper nos Præceptis Regulæ; volumus quidem Deo ſervire, ſed ſimul cupientes placere Mundo, & propriæ ſatisfacere ſenſualitati, hoc ipſo diſplicemus Deo. Cave itaque nè tali judicio Animam tuam condemnes. Punct. II. Conſidera qualiter Pilatus mittigando furorem Judæorum, tradidit JESUM Lictoribus ad flagellandum, qui tanquam rabidi Leones in manſvetiſſimum irruentes Agnum, veſtibus ſpoliant, nudum ad columnam ſtrictiſſimè ligant, ac tandem inaudita rabie, diverſis, accutis, duris, & aciculatis inſtrumentis, crudeliter flagellant. O! prodigium ſæculorum, fruſtratim Sacratiſſima dilaceratur caro, per vulnera conſpiciuntur oſſa, ruptiſque venis, largo rivulorum profluvio, undequaque pretioſiſſimus dimanat Sangvis. O! JESU doloroſiſſime, nolo vivere ſinè vulnere, dum te

video

video tam crudeliter amore mei plagatum. *Punct. III.* S. Brigittæ legitur revelatum, quod fatigati Lictores, postquam dissecuissent funes, quibus Christus Columnæ fuit alligatus, in Sangvinem suum procidit ad terram, ubi iteratim, grandinem verberum, novo furore, super prostrati dorsum effuderunt. Toties & nos hæc cruenta in corpore Christi renovamus vulnera, quoties malitiosè nostra repetimus scelera.

FEria. 5. *Punct. I.* Considera, qualiter Lictores, post diram Christi flagellationem, novo & hactenus inaudito martyrij genere, plectentes Coronam de Spinis, maxima cum sævitie, imposuerunt Capiti ejus, cujus duriores aculei, usque ad cerebrum pertingentes, Sanctissimum perforarunt cranium, reliqui per aures & tempora cum ineffabili dolore prorupuerunt. Quoties igitur cogitationibus oblectaris inordinatis, toties Capiti Salvatoris, novos infigis acculeos crudelitatis. *Punct. II.* Pro Throno Regio ita coronatus Salvator, in altiori collocatur scabello, paludamento lacerae ac detritæ vestitus Purpuræ: loco Sceptri, arundo vilis, ad manum datur, turmatimque accedentes, caput ejus percutiunt, faciem turpiter conspuunt, & irrisoriè salutant: *Ave Rex Iudæorum.* Toties & tu o! Religiose infando ausu, Christum irridere præsummis, quoties contra jurata Professionis tuæ Vota, ad illicita deflectis. *Punct. III.* Considera quomodo sedebat Rex Dolorum, in diademate, quo eum Coronavit Mater sua Synagoga, defluente per faciem & pectus, mixto Sangvinis & cere-

bri Sacratissimo cruore. Tanta patitur & tacet, sed tamen corde nobis loquitur: *Ego dispono vobis, sicut & mihi Pater disposuit Regnum:* Ut scilicet ejus discamus exemplo, non aliter nos posse, nisi per Spineam, ad auream gloriæ Coronam pervenire.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera quam crudeli vulnere, prænuntiatus à Symeone Justo gladius, dilaniaverit cor MARIÆ, dum per decursum vitæ dilectum Filium suum, vidit pauperrimè natum, humiliter educatum laboribus fatigatum, & à suo electo Populo contemptum, instante tandem sua Passione acerbissima: quot læsiones in corpore Filij, tot erant vulnera in corde Matris. Ora humiliter, ut te ejusdem gratiæ faciat participem: *Eja* Mater fons amoris, me sentire vim doloris, fac ut tecum lugeam. *Punct. II.* Teste S. Bernardo: Tantus fuit dolor Virginis in Passione Filij, ut si in Creaturas quæ pati possunt divideretur, omnes subitò interirent. Nam hic solvit Virgo cum usura, quod in partu, non habuit à natura. Hoc itaque Martyrij genus, pia devotione & affectu recolentibus, uti fert Revelatio S. Brigittæ: eadem Virgo dolorosissima, singulare in vita & morte appromisit patrocinium. Cura ut hujus particeps fias. *Punct. III.* Beatissima Virgo coluit Christum, ut verum Deum, & simul intimè dilexit, ut suum unicum secundùm carnem Filium; sicut ergo in cognitione & cultu ejus Divinitatis, ac amore humanitatis, plus cunctis Matribus excelluit, ita ob ejus contemptum, & crudelem mortem magis quam simul omnes possent homines, condoluit.

doluit. Tantorum igitur dolorum Sanctissimæ Matris, nè obliviscaris, ut eidem condolendo, simul tandem æternaliter collæteris.

Sabbatho. Punct. I. Derisum & contemptum ab iniquis lictoribus Salvatorem, eduxit Pilatus è Prætorio foras, ostenditque totum cruentatum, furenti Judæorum populo dicens: *Ecce homo*: quia nullus hominem, sed potius oprobrium hominum credidisset. Postponitur hic Latroni Barabæ, illoque dimisso, iste ad infame Crucis suplicium condemnatur. Ecce toties & tu contempto Christo, præponis Barabam, quoties carnales, & Mundanas præ Spiritualibus eligis affectiones. *Punct. II.* Considera fremitum conspirantium in necem Christi Judæorum, commotionem totius Civitatis, ac clamorem undique furentium populorum: *Crucifige Crucifige eum.* Sedet igitur pro Tribunali iniqvus Judex, satisfaciensque, non Justitiæ, sed petitioni Judæorum, innocentem JESUM, cum sceleratis reputatum, finali & ferali Sententia, ad infame Crucis suplicium damnat. O! *innocentia condemnata*: & quomodo ego miser, omnium criminum nocentissimus, de injustitia mihi facta, conqveri abhinc audebo? *Punct. III.* S. Catharina Senensis contèmplando, singula Passionis Dominicæ mysteria, hoc unicum mærens, satis admirari non potuit, qualiter innocens Salvator, coram iniquo Judice Pilato condemnandus mansvetissimè steterit? Procumbe hic amorosissimo affectu ad pedes JESU, & humiliter ora, ut per hanc suam mortis Sententiam, ab æterni suplicij justo Decreto, misericorditer te liberare dignetur.

DOMINICA PALMARUM.

Evangelium. *Cùm appropinquasset IESUS Ierosolymis & venisset Betphage. Math.* 21.

Punct. I. CONsidera qualiter Jerosolymam, pro festo Paschatis, numerosus conveniens populus, qui Christum omnia sibi bona facientem noverat, in suo triumphali, ad Sanctam Civitatem ingressu, vestimenta sub pedibus ejus sternebant, & ramos palmarum præferentes, *Osanna filio David*, acclamabant. Recordare & tu anima Religiosa, quanta bona ab eodem recepisti? & jurê gratitudinis, cede ramos passionum tuarum, substernasque ejus jugo, Vestimentum corporis tui, ut ita Christum triumphantem, inducas in domum cordis tui. *Punct. II.* Christus vilia elegit animalia, in suo triumphali Jerosolymam ingressu, ut discas Religiose, non ambitioso fastu, sed quantumvis honoratus, submisso semper animo, & humili corde, in omnibus Successuum tuorum progressibus incedere. Examina & inspice propensiones tuas, si è contra non facias? in paupere corpore, tumentem superbiâ fovendo spiritum? *Punct. III.* Christus sciens se post qvintum diem, in manus, inimicorum tradendum, cum pompa tamen triumphali, suam ingreditur carnificinam; ut doceret sequaces suos, ad Crucem, & afflictiones, velut ad epulas gaudenter festinandum Vide quonam tu animo, & spiritus promptitudi-

tudine, immiſſas tibi à Deo adverſitates & afflictiones amplectaris?

FEria. 2. Punct I. Conſidera poſt publicatam Mortis Sententiam, quanta cum rabie, innocentem JESUM à conſpectu Judicis rapiant Lictores? immiſericorditer ad terram eliſum, per gradus Aulæ protrahunt, ac humeros ejus, opprobrioſo Crucis patibulo onerant, quod duobus Latronibus non legitur factum. Ut ſcires Religioſe, Crucis, bajulationem ipſius eſſe Chriſti onus, & tuum propriè in ſeqvendo exemplar? Vide tamen quâ animi promptitudine incidentes tibi Cruces amplectaris? Punct. II. Bajulans Crucem Salvator, exhauſtis viribus, tribus vicibus procidit in terram. O! Prodigium Sæculorum, conſidera quomodo *cadat Verbum Dei ſecus viam, & conculcetur ab hominibus*: cadit ille, per quem omnes ſtamus, infirmatur ille per quem omnes roboramur, cadit denique in terram Deus, ut nos ad Cælum erigamur. Punct. III. Ad portandam Crucem Chriſti, angariaverunt quendam Simonem Cyreneum, quia nullus fuit, qui ſua ſponte & animo, Salvatori, hocce feciſſet levamen. Confundamur & nos, quod ſepè doloroſam Chriſti Paſſionem admiremur, ſed tamen non immitamur; tolle igitur libenter Crucem JESU, & quamvis criminoſus Latro, facilè ex hac aſcendes cum Chriſto in Paradiſum.

FEria. 3. Punct. I. Conſidera, qvod poſtquam illi tres ſupliciandi, & effuſiſſima Spectatorum multitudo, ad Montem Calvariæ perveniſſet, præprimis rabidi Lictores, Chriſtum impetuoſè veſtibus ſpoliant, hocque modo illum Amatorem Caſtitatis, & Sponſum Virgi-

num,

num, ineffabili pudore suffusum, coram universa plebe nudum statuunt. Ora benignissimum Redemptorem, per hanc ejus verecundiam, nè tu Justitia Originali spoliatus, bonisque operibus nudatus, erubescas nuditatem tuam in finali Dei Judicio. *Punct. II.* Perpende affectu compassivo, quàm crudelis & dolorosa fuerit, illa Christi spoliatio, dum Vestem inconsutilem, quæ vulneribus ob concretum Sangvinem adhærebat, immani violentiâ detraxerant, sicque totum Sacratissimum Corpus, Sangvineo cruore dimanans, à planta pedis, usque ad verticem capitis, in una plaga & vulnere ostentui exponunt. Ubi stetit Agnus ille jam Vestibus & pelle exutus, quia mox in busto Crucis immolandus. Exue ac spolia te quoque omnibus affectionibus inordinatis, & pretiosa veste Christum ornabis, gratitudinem ab eo in finali Judicio recepturus. *Punct. III.* Porrigunt Christo myrhatum vinum, cujus haustu in ipso, exanimes restaurent vires, non animo compatiendi, sed ad S. Augusti majora tormenta illum reservandi: Cessa & tu amaritudine plena propinare Christo pocula, quorum excessu, Religionem injurias, te ipsum dehonestas, & Proximos Scandalizas, si non vis eidem hoc grave iterare tormentum.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, quomodo rabiosi Carnifices, elisum Salvatorem ad terram, supra patibularem Crucis stipitem, crudeliter clavis affigunt, & manus ac pedes funibus immisericorditer ad loca clavorum protrahentes, novos ex ipsis Sacratissimi cruoris effodiunt latices. Ad quos Religiosa Anima

accurrens festinanter, bibe quantum voles, nè sitias in æternum. *Punct. II.* Imagineris tibi Anima devota, quasi ferales illos malleorum ictus audires, quibus Sanctissimæ manus, ac pedes Christi acclavabantur, simulque amabilissimum exora Redemptorem; ut cum ipso Crucifigaris, nè te amplius, Mundus Caro, & Dæmon, ad suam abripiant servitutem. *Punct. III.* Postquam Sanctissimum Christi Corpus, Cruci affixum fuisset, tamque forti attractu distentum, quod omnia ferè ossa dinumerari potuissent, feri Carnifices, stipitem illum Crucis, à terra sublevant, tantoque cum impetu, in cavum terræ submittunt, quod ruptæ venæ, & laxata membra, novum Crucifixo Salvatori, causarunt tormentum. Hæc considerans Religiosa anima, cave nè post hac quæras vanam tui exalationem, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi.

Medit. de institutione SS. Eucharistiæ Sacramenti.

FEria. 5. *Cœnæ Domini.* Obstupesce Anima Religiosa? quanto amoris excessu Christus Dominus, instante sua crudeli Passione, priusquam de hoc Mundo transiret ad Patrem, summæ dilectionis, erga genus humanum, exhibuerit documentum? dum sub speciebus Panis & Vini, dedit nobis Sanctissimum Corpus suum & Sangvinem, ad manducandum & bibendum, quibus per viam exilij nostri, famelicas animas pascamus, & sitibundas, potu saliente in vitam æternam refocillemus, ac torrente Spiritualium Voluptatum, ab uberrimis Cælestis ambrosiæ inundationibus potemus. Vide igitur quonam gustu hoc Cæleste Manna percipias?

Punct. II.

Punct. II. Hae admirabili Sanctissimi Sacramenti institutione, Christus Dominus, ut dicit S. Aqvinas: *Extensionem Incarnationis*, effecit. Triplex est enim illa maxima in Deo Unio: *prima* scilicet, qua Filius Substantialiter unitur Patri: *altera* quâ idem Dei Filius, Hypostaticè univit sibi naturam humanam. *tertia* quâ Sacramentaliter unitur nobis per sumptionem sui Sacratissimi Corporis & Sangvinis, sub speciebus panis & Vini. Cùm itaque primo modo unio Creaturæ cum Deo sit impossibilis; Altera non fuerit conveniens, assummendi scilicet per Incarnationem omnes homines, in unitatem Personæ Filij Dei: Hoc itaque tertio modo, excessu amoris voluit Christus Sacramentaliter, unicuique nostrum uniri, & quodammodo incarnari. O! amor, o! prodigium: *Audeo dicere, cum sit Potentissimus, plus dare non potuit.* S. August: *Punct. III.* Ut tantum *amorem*, Salvatori tuo, reciproco *amore* gratifices, omni conatu sattage, uti monet Augustinus: Qvatenus sincera & pura conscientia, mundo corde, ac casto corpore, ad Altare Dei accedas, & Corpus ac Sangvinem ejus, non ad judicium, sed ad remedium animæ accipias.

FEria. 6. Parasceves. Punct. I. Considera quam magna & amara valdè sit dies hodierna, in qua Christus verus Deus & Homo, triginta tres Annos Vitæ suæ expleturus, post multos labores, varias calamitates, sinistra judicia, horribilia Jerosolymis perpessa tormenta: jam tandem, dilacerato corpore, disruptis venis, martyrizatis omnibus membris,

medius inter duos Latrones, in patibulo Crucis suspenditur. O! anima Religiosa, averte abhinc occulos tuos, nè amplius videant Vanitatem, sed omnibus diebus vitæ tuæ respice in faciem Christi tui. *Punct. II.* Stupente natura Universi, obscurato Sole, tremente terra, scissis petris, ecce qualiter paucis exceptis, sola Judæorum corda duriora saxis, ad compassionem non commoventur, quinimô, convitijs irrisionibus, blaspemijs, subsanant Redemptorem. Tu ergo supplex ora cum Latrone: *Memento mei Domine.* ut in amara suæ Passionis recordatione, cor tuum scindatur ad pænitentiam, ut postea cum ipso assummatur ad gloriam. *Punct. III.* Accede accede huc ad Montem Calvariæ o! Religiose, & à Cælesti Magistro, ex Cathedra Crucis audi doctrinam: ubi te docet *Obedientiam*, inclinato capite. *Pænitentiam*, lachrymantibus occulis. *Contemptum mundi*, Capite spinis coronato. *Patientiam*, stricto ad omnia silentio. *Sobrietatem*, sitibunda lingva. *Amorem Dei*, transfixo corde *Amorem Proximi*, expansis manibus. *Dilectionem inimicorum*, Pater ignosce illis. *Paupertatem*, nudo corpore. *Mortificationem*, vulneratis membris. *Perseverantiam*, Crùci affixione *Horrorem peccati*, Morte ipsius acerbissima. Roga igitur Dominum, ut has doctrinas, profundè cordi tuo imprimat, nihilque amplius quæras aut aspicias, nisi JESUM Christum, & hunc Crucifixum.

Sabbatho Sancto. Postquam Christus Redemptor noster, de torrente mortificationis in via vitæ suæ bibisset, & amarissimum Passionis

Cali-

Calicem, ad ultimam guttam exhausisset, Vitam & Animam suam ponendo, pro Salute generis humani, nè remaneret Sabbatho Corpus ipsius exanime in Cruce, annuente Pilato, deposuerunt, illud Nicodemus, & Joseph ab Arimathia, & conditum aromatibus, *sepelierunt in Monumento novo exciso in petra.* Ioan:18 Tu qui suscepturus Christum, non habes in te, ornatum heroicis Virtutibus Palatium, Ora humiliter, ut depositione Corporis sui Sanctificet & emoliat, duram cordis tui petram. *Punct. II.* Considera quod Christus sepeliri voluerit in *Sepulchro novo*, quia & in Cordibus nostris, non aliter mansionem electurus, nisi ejicientes pravas veterum consvetudinum actiones, & laqveos noxarum disrumpentes occasionum, in novum mutemur hominem. *Puct. III.* Si adusqve cor tuum fuit nidus, & cubile, infernalium Draconum, propter consvetam Præceptorum Dei, & Regulæ prævaricationem, qvantocius illud, vera pænitentiâ seriâque emunda detestatione, & idipsum Christo Salvatori: *Erit Sepulchrum gloriosum.* Isai: 11.

DOMINICA RESURECTIONIS D. N. J. C.

Evangelium. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome. Marc: 16.*

Punct. I. Considera gloriosum Christi, in sua Resurectione triumphum, dum ille qui pauló ante contemptus, fædus, li-

vidus,

vidus, præ tumore & vulnere, totus horridus
Isai 53. apparuit, uti dixit Propheta: *Non erat ei species neque decor*. Ecce hodie amictus lumine sicut vestimento, gloria & honore ornatus, sanato & redintegrato Sanctissimo Corpore, triumphans, & æternum victurus, de Sepulchro resurrexit. Si ergo o! anima Religiosa, desideras cum Christo resurgere ad gloriam, necessum est, ut prius cum ipso patiaris. Qvi enim non nisi patiendo, intravit in gloriam suam, & quomodo tu sine passione introire poteris in alienam? *Punct. II.* Veritatem Resurectionis Christi, demonstrabant Angeli dicentes Mulieribus in Sepulchro: *Surrexit non est hic.* Si cupis cum Christo resurgere ad gloriam, necessum est, qui fuisti Mundo & Carni serviens, ut *non sis hic*, qui fuisti passionibus vitiosis alligatus, *non sis hic*: verbô denique, quid quid criminosi in Deum & Regulam committere consveveras, *non sis hic.* *Punct. III.* Tres modos Resurectionis legimus in Scriptura: Samuelis scilicet, qvæ tantum fuit apparens. Lazari, estò vera, sed tamen denuò mortuus. Hodierna Christi perfectissima, qvia resurgens nunqvam amplius moriturus.
Roman. 6. Unde monet Apostolus: *Ut quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos, in novitate vitæ ambulemus.* idest, non apparenter solum, non convertibiliter ad malum, sed constanter, & immobiliter simus perseverantes in bono.

FEria. 2. Punct. I. Duo Discipuli euntes in Castellum Emaus, dum colloqverentur de Christo Salvatore, quæ cum ipso facta sunt

Jeroso-

Jerofolymis, ipfe JESUS junxit fe eorum Societati, & exponebat illis, arcana Scripturarum. Si ergo velimus Chriftum habere medium, & in noftris Congreffibus Religiofis, fint Sermones noftri devoti, modefti, non terrena fed Cæleftia fapientes, & fic ipfe Cæleftls Magifter faciet, qvod promifit: *Ubi duo congregati fuerint in nomine meo, ibi fum tertius in medio eorum.* Math 18 *Punct. II.* Qvi habet penes fe pretiofa aromata, ex odore ungventi proditur: ita qvi habet in fe Spiritum Dei, ex ipfis verbis agnofcitur: qui verò fpiritu Mundi & Carnis imbutus eft, fimiliter per fuos Sermones, quos profert vanos, fcuriles, mundanos facilè dignofcitur. Loquela igitur tua Religiofe Frater, abfque cordis infpectione manifeftum te facit, qualem Spiritum in te habeas? & utrum Chriftum confeffus tui habere merearis Socium? *Punct. III.* Sanctus nofter Patriarcha Francifcus in Regula præcipit, ut fimus: *Modefti, manfveti, humiles, honeftè loqventes omnibus.* Compefce igitur verba fcomatica, difcurfus clamorofos & diffolutos, ac facetias nugatorias, ut Chrifti Socius, & tui Patriarchæ Filius effe, ac cognofci ab omnibus merearis.

FEria. 3. Punct. I. Chriftus Dominus apparens Apoftolis, falutavit eos dicens: *Pax Vobis.* Ioan. 20 qvia inter tumultantes hujus Mundi infultus, nihil pace dulcius, fed qvia non eft pax impijs dicit Dominus: *Pax* enim & *Iuftitia*, indivifibili focientur nexu. Igitur monente Auguftino: Qvære juftitiam, fi velis fimul invenire pacem. *Punct. II.* Pax interna non confiftit in hoc, quod nullas patiamur

adver-

adversitates, sed qvod simus plenè in Voluntatem Dei resignati, qvid qvid prosperi, sive adversi obvenerit, ut illa omnia tanquam nobis de manu Domini immissa libenter suscipiamus. Si igitur in dulcedine pacis conqviescere desideras, non quod tu ipse, sed quod Deus de te ordinaverit, contentus esto. *Punct. III.*
Iacob:4 Meritò Apostolus dixit: *Unde bella & lites in vobis, nonne ex concupiscentijs vestris?* Si ergo serviens proprijs cupiditatibus, ac passionibus, pacem tibi in animo conciliare existimas, totô Cælo aberras, nam sola resignatione in Voluntatem Dei, & mortificatione passionum qvies, & pax interna aqviritur. His ne medijs & tu eandem quæris, ac obtinere sattagas?

Luc: 24. *FEria. 4. Punct. I.* Considera qvomodo Christus post suam gloriosam Resurectionem apparens Discipulis, non solum eos dulci solabatur sermone, sed etiam simul cum eis comedit: quia hæc est revera felix sors, Deo sincerè servientium, quod eos non solum ad bonum Cælestibus errudiat illustrationibus, sed etiam Spiritualibus dulciter pascat solatijs. Si ejusmodi non sentias in te gratias, signum est, qvod nondum fideliter Deo servias. *Punct. II.* Volve & revolve Sanctorum Historias, quanta Servi, & tenellæ Dei Servæ passi sunt tormenta, in qvibus læti, & gaudentes Tyrannorum irridebant crudelitatem, qvia in cordibus suis consolatorem habebant Deum. Erubesce hic impatiens Religiose, qvod tu è contrà ad leve quodvis pungens verbum, aut exiguam licet adversitatem multum exacerberis & conturbe-

turberis: Ut ergo sit tibi qvævis passio dulcis, cura prius, ut in pura tua Anima habeas Deum consolatorem. *Punct. III.* Præcepit Deus Moysi: *Ne quidquam melis adoleatur in Sacrificio suo.* Levit. 2. Qvia gustantes dulcedinem voluptatum terrenarum, nequeunt svavitatum Cælestium esse participes. Qui ergo te in Religione Sacra obtulisti Deo in Sacrificium, crede Doctori Kempensi: Quod tunc primò invenies svavissimam Spiritus Sancti consolationem, postquam pro amore Dei, omnem terrenam abjeceris delectationem. Inspice igitur & examina seriò cor tuum, utrum ei hæc pestifera labes non adhæreat.

FEria. 5. Punct. I. Considera constantem Magdalenæ erga Christum amorem, quod semel vitam sceleratam execrata, nedum pedes ejus lachrymis rigare, caput balsamo ungere, ex suis facultatibus eidem necessaria ministrare, sed etiam Morienti assistere, & ad Sepulchrum usqve commitari, pro debito sibi duxerit, nunquam amplius vitæ anterioris repetens vestigia. Luc. 7. & Marc. 17. Nos verò licet ab amore Mundi videamur conversi ad Christum, sed prorsus inconstanti proposito, dum sepè occurrenti occasione ad pravas consvetudines, abducit sua quemque voluptas. *Punct. II.* Gratitudinis conclamant jura: *Amantem te ama.* Ecce Deus anteqvam essemus, aut qvidqvam boni fecissemus, quantum nos adamavit? In *creatione*, formando ad imaginem suam: *in Redemptione*, ipse in similitudinem hominum factus. In *Sacramento*, concorporeus nobis fieri dignatur. In *gloria* deniqve efficit, ut ipsius vita vivamus,

mus, felices sua felicitate, & immortales simus ipsius immortalitate. Qvis ergo tam amantem nos, ex toto corde, non redamabit Deum? *Punct. III.* Cælum & terra, omnesque Creaturæ his contentæ, indesinenter clamant, quod Deum amare obligemur: Nam qvid qvid Cælum splendoris exhibet in Sole & Luna, influxus in Stellis, terra fructus, ornamenti, utilitatis in Animalibus; arboribus plantis, & lapidibus, totum condidit & conservat Deus, in utilitatem ac servitutem hominum. Dignus itaque mille infernis, qui te Deus pro tantis non amat beneficijs.

S. Augu∫t:

FEria. 6. *Punct.* I. Christus post suam Resurectionem præcepit Apostolis, ut fidem Evangelicam, toti Mundo prædicarent, *sinè qua impossibile est placere Deo*: Quæ gratia sicuti à Deo sinè ullis datur meritis hominibus; ita perpende, qvàm grande sortitus sis beneficium? dum ex Parentibus fidelibus natus sis, & in salutifera fide educatus, ubi tot milliones hominum, in cæcitate infidelitatis pereunt in æternum. *Punct. II.* Eximium Sanctæ fidei ad pacificandas animas, habemus beneficium, nam licet hæc necessariò sit obscura, & versetur circa Articulos, humanum captum excedentes, âttamen propter Authoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, neque fallere potest, plus habet certitudinis, quâm quod sensibus probat evidentia, cùm sepè sensus sint fallibiles. Sis itaqve Deo gratus, qvod te in tam firma Credibilium petra, stabiliverit, & sinè periculo erroris, in gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ constituerit. *Punct. III.* Hugo Cardinalis

Hebr:11

nalis meritò dixit: Fidem eſſe fundamentum omnium Virtutum: qvis enim contemni & humiliari pateretur? niſi crederet Evangelio aſſecuranti: *Qui ſe humiliat exaltabitur*. Quis perſecutionum ſuſtineret acculeos? niſi crederet Chriſti promiſsis: *Beati qui perſecutionem patiuntur*: & ſic de cæteris. Ex fide igitur, habes credibilium certitudinem & ſecuritatem, habes motiva omnia, qvibus ad Virtutem accendaris: Crede ergo & fac bonum, ut in te Sanctæ fidei meritum coronetur, nam alias *Fides ſinè bonis operibus mortua eſt*. Mathæ Math: 5 Jacob. 2

Sabbatho. Punct. I. Conſidera quo Spiritus fervore Petrus & Joannes currebant, ac unus alterum præcucurrit ad Sepulchrum Domini, ut hodiernæ feriæ reffert Evangelium; Nos verò pudeat, quod in qværendo Chriſto, nimis pigrè procedamus: nam vellemus qvidem eſſe *virtuoſi*, ſed ſinè labore, *patientes* ſed ſinè patientia, *caſti*, ſed ſinè caſta ſenſuum refrenatione, *pauperes*, ſed ſinè in comodo paupertatis. Eſtnè talis ſincera tua perveniendi ad Chriſtum intentio? *Punct. II.* Volumus omnes conſeqvi, ſed non ſeqvi Chriſtum: aſpiramus ad felicitatis terminum, ſed impertranſito, arduitatis medio: ſimiles illi ægroto, qui ſanari deſiderat, ſed adduci non poteſt, ut amaram ſumⅿat Medicinam. Curramus igitur ferventius in ſtadio Virtutis, qvamvis per maximè ardua, ut ita ſeqventes, ſimul conſeqvamur Chriſtum. *Punct. III.* Non quæris Chriſtum, ſed potius temetipſum, ſi obedias Superiori, ſed non niſi placita tibi præcipienti: imponis tibi jejunia ex devotione, ſed ab Ec-

clesiæ & Regula præscripta exactè non observas: devotè videris absolvere Missam, sed omnes nutus in ea facti, Rubricis adversantur. Spontaneas protrahis Orationes, sed Divinum Officium distractè & perfunctoriè deblateras. Præcepta Regulæ sat multa observas, sed unum ex præcipuis pro solitò violas. Hoc igitur modo non quæris Christum diligenter, sed vitiando ipsa bona opera, illudis potius ei fraudulenter.

DOMINICA IN ALBIS.

Evangelium. *Cùm serò esset die illo, & fores essent clausæ. Ioan.* 20.

Punct. I. Cùm fores essent clausæ, ubi Apostoli erant congregati, venit ad eos JESUS, dulciter ipsos illis verbis salutans: *Pax vobis.* Ex quo manifestè apparet felicitas Religiosorum Clausuræ, quod non inter Mundanos tumultus, sed in Solitarijs recessibus, pacem ac tranqvillitatem conscientiæ, & Cælestes favores Servis suis communicare solet Deus. Qvorum si & tu particeps fieri desideras: Cella solitaria, sit tibi Cælum

Punct. II. Claustralem Religiosorum felicitatem, Sancti Patres Arcæ Noë comparant, nam intra hanc firma salutis securitas, extra verò, universale dispendij animarum diluvium. Cave itaque nè sis Corvus, ut lubenti egressu, & mora diuturna, cadaverum Mundanorum contenteris gustu; sed potius immiteris Columbam, ut qvantocius, cum ramo Olivæ boni exem-

Genes. 8

exempli, ac fructu, mandatô Superioris expediti negotij, ad Conventum revertaris. *Punct. III.* Religiosus in Conventu habet mille modos, cummulandi sibi coram Deo merita; tam per Orationem, Meditationem, Lectionem, quàm utile & honestum manuale exercitium: extra verò Conventum inter Sæculares, facilissima occasio distractionis Spiritus, aut lapsus in verbo, sive opere: Undè meritò Sanctus ille Asceta conqverebatur dicens: *Quotiescunqve inter homines fui, semper minor homo ad Cellam redij.* Qvid ergo tu de te sentire debeas, cui Cella carcer, & Sæcularium familiaritas svavis Paradisus?

FEria. 2. *Punct. I.* Considera qvod licet Clausura Conventus materialis, sit multum Religioso salutaris, longè tamen salubrior est Clausura interna & spiritualis, per qvam in corde suo, castum Deo efficit habitaculum, ut qvid qvid eum ab extra tentare, turbare, affligere & mortificare aggrediatur, nunqvam tamen illud ad interiora cordis sinat pertingere, ubi cum solo Deo occupetur: nihil qværens, nihil curans, quam ut soli Deo placeat, & in omnibus ejus exeqvatur voluntatem. Omni igitur conatu in Corde tuo, hanc Deo placentem effice clausuram. *Punct. II.* S. Philippus Nerius in medio Romæ habitans, & nunqvam inter strepitus Aularum commorans, interiori tamen cordis custodia, fuit perfectus Eremita. Sanctam Catharinam Senensem ipse Christus docuit; ut eidem in corde suo efficiat Conclave secretum, nam qvâmvis pro utilitate proximorum, conversaretur exte-

rius,

rius, aut qvævis adversa pati contingeret, semper tamen intus manentem respiceret Deum. Ita Religiose Frater, licet egrediaris è Cella, vel Conventu, semper tamen tecum porta, & diligenter custodi, hanc interiorem Cordis clausuram, in qua præsentem Deum respicias & contra omnes inimicorum insultus, in tui adjutorium propitium habeas. *Punct.* III. Qvi sibi interiorem effecit cordis Clausuram, felicissimus est, nam in fornace Babylonica hujus Mundi incendiorum, non uritur, in naufragio fluctum ejus non mergitur, in turbine jaculorum non læditur, quia habet à quo adjuvetur, ad qvem securus confugiat, scilicet inhabitantem in suo Corde Deum. Hunc igitur in Conclavi cordis tui habitantem si habueris, non accedet ad te malum, neque flagellum inimici appropinqvabit tabernaculo tuo.

Joan. 20. *FEria.* 3. *Punct.* I. Considera quod Christus Salvator post suam Resurrectionem, tunc Apostolis apparuit & familiariter cum illis conversatus est, qvando erant in unum congregati, cujus gratiæ non fuit particeps Thomas, quia non erat cum eis. Ex quo discamus, quod non aliter mereamur Christi solari præsentia, nisi tunc, dum sumus, concordi charitate, & animorum conjuncti unitate. *Punct.* II. Ezechiel
Ezech. 1. Propheta vidit in Cælo mirabilem gloriæ Dei currum, non à quatuor unius genij eqvis, sed à differentis naturæ animalibus: *homine* scilicet *Leone Bove & Aquila*, concordi tamen ductu tractum. Licet itaque Religiosæ animæ, & inter nos diversæ propensionis, Patriæ &

genij

genij inveniantur cohabitatores, inclinationes tamen carnis, Spiritu mortificate, ut circa promovendam Dei gloriam, & supportanda Religionis onera, unanimi nutu, & concordi simus charitate: & sic certò certius Cœlo invehi merebimini. *Punct. III.* Merito canit Psalmista: *O quam bonum & jucundum, habitare fratres in unum* scilicet unus alterum diligit, in necessarijs adjuvat, in defectibus compatitur, in omnibus exigentijs, quasi proprijs Fraternè succurrit. In tali Communitate Bernardo teste: Terrestris habetur Paradisus, & ipsi habitatores sunt Angeli: sinè verò mutua charitate, Cænobia sunt tartara, & eorum incolæ Dæmones. Observemus igitur Fratres mutuam charitatem, & animorum unionem, ut in terris prælibemus Paradisi felicitatem. Psal. 132.

FEria. 4. *Punct. I.* S. Thomas audiens à suis con-Apostolis, Christum surrexisse à mortuis, & cum eis conversatum fuisse, dixit: *Nisi ipse videro non credam,* ob quam incredulitatem, redargutus fuit à Christo, Ex quo disce, cum Fides juxta S. Paulum: *Sit sperandarum substantia rerum non apparentium.* Huic ergo oportet humilem submittere intellectum sinè ulteriori experimento sensuum. *Punct. II.* Cum articuli Fidei, pro statu Viæ & vitæ præsentis, necessariò sint obscuri, quia primò in Patria Cælesti clarè revelandi, ideo præmonet Augustinus: *Crede quod non potes videre, ut merearis videre quod credis.* *Punct. III.* Multi Doctores eximij, quia superbo, ac curioso conceptu, arcana fidei, ultra qvam licuit, scrutari Joan. 20 Hebr. 11

tari præsumpserunt, qui imbecillitate naturalis intellectus, neque unius muscæ naturam comprehendere valebant; ideo in pernitiosos errores inciderunt, & miserè perierunt. Tu igitur crede firmiter, ac humiliter, quod credendum S. Mater Ecclesia proponit, ob infallibilem revelantis Dei authoritatem, & sic pacem internam, ac meritum fidei, gloria coronandum securus lucraberis.

Joan: 20 *FEria.* 5. *Punct. I.* Christus post suam Resurrectionem in medio Discipulorum apparens, ostendit eis manus pedes ac latus sacris Vulneribus perforatum, ut eadem Sacratissimæ Redemptionis nostræ trophæa aspicientes, per devotas Meditationes recolamus, in *pedibus* fatigia, in *Manibus* labores, in *Corde* transfixo, infinitum ejus ergà genus humanum amorem. *Punct. II.* S. Paulus dicit: *Petra erat Christus.* foramina verò hujus *petræ*, teste S. Aqvinate: Sunt Vulnera, quæ pro salute nostra in Cruce suscepit, fixuram scilicet clavorum, & Lanceæ percussuram. In his ergo foraminibus, abscondere Anima Religiosa, ut ab insidijs malignorum Spirituum, tanquam à raptu voracis Accipitris secura esse possis. *Punct. III.* Si quæris viam, & ingressus januam ad Regnum Cælorum, audi S. Bonaventuram dicentem: O!, cæcitas filiorum Adæ, qui per Vulnera nesciunt in Christum intrare, supra vires suas laborant, in vanum, & aperta sunt ostia ad qvietem, ecce per hæc aperta est janua Paradisi, & vos introire negligitis. Caveamus igitur nè simus ex his negligentibus.

1. Corin: 10.

Feria.

FEria. 6. Punct. I. Christus dixit Apostolis: *Quorum remiseritis peccata remittentur eis.* Joan:20.
Ex quo considera infinitam Dei erga peccatores Misericordiam, qui nobis per Ministros suos, tam facilem providit modum, eluendi peccatorum maculas, dicente S. Isidoro: Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccatis dat veniam, omnis spes in Confessione consistit, in qua est locus misericordiæ, quia nulla est tam gravis culpa, quæ per Confessionem non habeat veniam. Ad hanc igitur ritè peragendam festinus accede, ubi conscientiam tuam, peccato adverteris maculatam. *Punct. II.* Sicut Deus in ordine naturæ, novit infirmam hominum complexionem, ideo ex infinita sua bonitate providit eidem medicamenta in herbis, in mineralibus, cæterisque mixtis salubria: ita in ordine gratiæ, lapsis post Baptismum, contra infirmitatem animæ, Sacramentum Pænitentiæ, providere dignatus est, quod ex Meritis Christi, & profluvio sui Sacratissimi Sangvinis, fit nobis in ablutionem peccatorum, & Medicinam restaurandæ Vitæ Spiritualis. Sic igitur ritè, dignè & exactè hanc Spiritualem summe Medicinam, nè culpa tua toxicum tibi fiat. *Punct. III.* Non præfixit Deus numerum peccatorum, ultra quem essent Sacramentaliter irremissibilia, neqve exclusit gravitatem, quæ amplius non mereretur veniam, qvinimò per Prophetam suum appromisit dicens: *In quacunque hora ingemuerit peccator exaudiam eum.* Qvi ergo ex te pronus es ad omne malum, recurre

ad eum fiducialiter qui amore tui vult tibi præſtare omne bonum.

Sabbatho Punct. I. Chriſtus Dominus redarguendo incredulitatem Thomæ Apoſtoli, dixit: *Quia vidiſti me credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt.* Ex quo docemur, certitudinem fidei, non eſſe repetendam à proprijs ſenſibus, ſed ſufficit tibi credere, quod tibi Sancta Mater Eccleſia ad ſalutem credendum proponit: de quo enim habetur evidentia, de eodem fides haberi neqvit. Igitur quod non comprehenderis, *Beatus es*, ſi fide credideris. *Punct. II.* Juxta Philoſophum qvidem: Nihil eſt in intellectu, qvin prius fuerit in ſenſu, nam ab Objecto, & potentia paritur notitia. Fides autem cum Animæ credenda proponat, quæ nulli ſunt proportionata ſenſui, & captum humanum excedant, ſed ſolùm ea novimus per auditum, ut dicit Apoſtolus: *Fides*
Roman. 10. *ex auditu, auditus verò per Verbum Chriſti.* Qvam igitur qvietam mentem noſtram, in credendis Articulis fidei habere debemus, quæ in ipſius Chriſti Verbis infallibilibus fundamus. *Punctum III.* Fides Sancta Catholica, non eſt Scientia, qvæ aliquo percipiatur ſenſu, ſed ſolius animæ obtinetur aſſenſu, de ijs, quæ per auditum percipit: in auditu ergo auris, obedi humiliter Eccleſiæ, & juxta monitum Doctoris Kempenſis: Noli diſputare cum cogitationibus tuis, nec ad immiſſas tibi à Diabolo dubitationes reſponde, ſed crede Verbis Dei, crede Sanctis ejus, ac Prophetis, & fugiet à te nequam inimicus.

DOMI-

DOMINICA II. POST PASCHA.

Evangelium. *Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam. Joan.* 10.

Punct. I. COnſidera, quâm meritò Chriſtus Dominus dixit ſe eſſe bonum Paſtorem, quia nos Oves paſcuæ ſuæ, paſcit Verbo, Saginat corpore, & potat Sangvine ſuo, roborat gratia, animat Spiritu ſuo, ditat meritis ſuis, Vitam denique poſuit pro nobis Ovibus ſuis. Qvanta eſt ergo felicitas noſtra, quod ſimus ex Oviculis hujus Cæleſtis Paſtoris. *Punct. II.* Qvi non eſt verus Paſtor, videns à fera beſtia imminere gregi periculum, primus ipſe fugit. Paſtor veró noſter Chriſtus, nunqvam Oves ſuas deſerit, qvinimò ſolicitè perditas quærit, inventas in humeris ſuis, gaudens ad proprium reportat Ovile, non ſe veſtit lana Ovium ſuarum, ſed ſemetipſum ſpoliavit, ut ipſas veſtiret. Cave igitur, nè te à cura tam boni Paſtoris malitioſè ſepares, & perinde in dentes beſtiæ infernalis incidas. *Punct. III.* Bonus Paſtor Chriſtus, portans manibus Virgam Crucis, præcedit Oves ſuas, ipſaſqve vijs tutiſſimis ducit, & ſpeciali providentia gubernat, ut ad felicia vitæ æternæ paſcua perveniant. Non es igitur de Ovibus hujus boni Paſtoris, ſi eundem non ſeqvaris diligenter, nec ejus audias vocem obedienter.

FEria. 2. *Punct. I.* Considera quod Deus in tuam curam Pastoralem commiserit charissimam sibi Ovem, scilicet Animam tuam, ut eandem, non per floridos hujus Mundi campos, ubi pascua sunt venenosa, sed per Montem Myrhæ, Sangvine Christi impingvatum, ad Ovile triumphantis Ecclesiæ deducas. Vide igitur quæ nam ex his pascua seqvaris? *Punct. II.* Hæc Ovis Christi, Anima scilicet cujuslibet hominis, tantæ est excèllentiæ, ut fatetur, S. Bernardinus: Si formarentur tot Cæli Empyrei, quot sunt aqvarum guttæ, qvot arenæ Maris, omnis pulchritudo eorum simul sumpta, non posset æqvare pulchritudinem unius Animæ, qvæ est imago Dei, & per gratiam Sanctificantem reditur consors Divinæ naturæ, quod nulli alteri Creaturæ concessum est. Cave igitur nè tanti pretij gemmam frivolè perdas. *Punct. III.* Idem S. noster Senensis reflectit dicens: Si tanta est Cæli Empyrei magnitudo, virtus & pulchritudo, quantum in his excedit Anima? pro qua factum est habitaculum istud? Unde meritò dicit Lactantius: Anima creatione, est opus inennarabile, redemptione verò inapretiabile. Qvantum igitur damnum, dum eandem pro vili & momentanea voluptate ultrò perdimus, & Dæmoni, æternis cruciatibus torquendam incauti tradimus.

FEria. 3. *Punct. I.* Mercenarius videns gregi suo à fera bestia imminere periculum, non defendit eum sed fugit. Cujus occasione considera, quod custodiæ tuæ commissam habeas, uni-

unicam Ovem, Animam ſcilicet propriam. Sis igitur ejuſdem bonus Paſtor, non Mercenarius, nè poſtqvam ſenſeris contra eam, frementes beſtiarum infernalium dentes, puſillanimis ex campo certaminis fugias, *ſed rugienti Leoni & qværenti, quem devoret*, confiſus in Dei auxilio, viriliter te opponas. I. Petri 5 *Punct. II.* Non eſt validior Dæmon ad tentandum, quam Deus ad nos adjuvandum, ſi itaque & totus contra te fremat Infernus, monente Kempenſi: Sta firmiter, & perſeveranter, confidens in auxilio Dei. Sicqve experieris auxilium de Cælo, quod *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis ad te autem* inimicus *non appropinqvabit.* Pſal: 90. *Punct. III.* Dùm audis vel legis Sanctorum, varia hæroicarum Virtutum exempla, nè eadem contempleris, ut solùm admirabilia, ſed accendaris fervore Spiritus, ut tibi cum Dei adjutorio, etiam reddantur immitabilia Dum conſpicis Cælum, nè ſupponas puſillanimo Spiritu, quod hoc ſit ſolius Dei & Sanctorum ejus habitaculum; ſed virili animo ſattage, ut tu quoque eaſdem Sedes Beatas conſcendere merearis? Sicque virilis & intrepidi animi bonus Paſtor, Animam tuam de faucibus inimici erripiens, ad paſcua Vitæ æternæ feliciter conduces.

FEria. 4. *Punct. I.* Chriſtus de Ovibus ſuis Joan: 10 dixit: *Cognoſcunt me meæ.* quia Servi Dei, ita cautè in omnibus ſuis operibus procedunt, quaſi jugiter oculis ſuis præſentem, Deum cernerent, qvi per ſuam *eſſentiam, præſentiam & potentiam*, eſt verè ubique præſens, omnia

videns,

videns, omnia penetrans, omnia comprehendens. Inſpice igitur temetipſum, qvaliter in conſpectu tam magni, & terribilis Dei procedas? *Punct. II.* Si fur videret, aſpicientem Dominum, cujus theſaurum ſurripere vellet; nonne potius fugâ ſibi conſuleret, quàm ejusmodi auſum attentaret? aut quis rationis compos, in conſpectu Judicis, committeret ſcelus, in cujus manibus in caput ſuum, ultricem criminum, videret gladium? ecce monet Propheta: *In omni loco occuli Domini contemplantur bonos & malos.* Sit igitur tibi curæ, nè te Deus inter malos, ſed ſemper cum bonis bené converſantem videat. *Punct. III.* In occulis ſui Ducis, Miles ſtrenuè pugnat: Artifex in præſentia ſui Magiſtri, diligentius laborat: Filius in conſpectu Patris, nihil inordinati comittit: Et quomodo tu Religioſe contra tentationes tam remiſſe pugnare, Religionis munia tam negligenter obire, in conſpectu Patris Cæleſtis, tanta facinora committere præſummeres, ſi certò eundem præſentem Deum, & cuncta tua cogitata, dicta & facta inſpicientem crederes?

Prover. 15.

FEria. 5. Punct. I. Chriſtus Salvator dixit: *Et alias Oves habeo, quæ non ſunt ex hoc Ovili.* Ex quo boni Paſtoris oraculo conſidera: dari Oves, quæ non ſunt de grege Chriſti, quales ſunt Gentiles, Hæretici, & mali Chriſtiani, nam tales etiam in finali Judicio, non cum Ovibus Chriſti à dextris, ſed cum hædis à ſiniſtris ſtatuentur. Qvi ergo hæreſeos, effugiſti perniciem, expaveſce, nè cum malis Chriſtia-

Joan. 10.

nis

nis reproberis. *Punct. II.* Cûm Evangelium segregationem bonorum à malis in finali Judicio sub Symbolo Ovium ab hædis commemoret, S. Chrisostomus dat rationem inqviens: Mores per hoc utriusqve partis apperiuntur, dum alij hædorum, alij Ovium nuncupatione nominantur. Inspice igitur seriò mores tuos, & expavesce, nè verificetur de te quod dicit Augustinus: *Ovem te putas, & fortè hircum te Deus novit.* *Punct. III.* Ovis naturâ sua est mitis, in sequendo Pastore animal promptum, nihil habens ferociæ, non mordet dentibus, non lædit ungve, aut cornibus, humilis in incessu, qvieta in statione, odit singularitatem, complacet sibi in communitate, patiens denique in tondendo, ac occidendo. Disce itaque Religiose Frater, omnes has Virtutes ab ipsa Ove, nè cum sordidis, ac insolentibus hædis, in finali judicio reprobus & abjectus, à bono Cælesti Pastore inveniaris. Math:25.

FEria. 6. *Punct. I.* Christus Dominus promptitudinem Ovium suarum laudat dicens: *Oves meæ, Vocem meam audiunt.* Ex quo tamen intellige, Vocem Dei, non semper esse sensibilem, sed frequentius per internas illustrationes, quibus intellectum illuminat, & Voluntatem movet, ac accendit, ad bonum exequendum, vel malum fugiendum. Observa igitur attentè, & exequere diligenter, tales Divini impulsûs stimulos, ut obediens Christi Ovicula dici merearis. *Punct. II.* Filius tenerrimè diligens Patrem non expectat ut ei seriò, & comminatoriè opus demandet exequendum, Ioan:10.

dum, sed factô præcurrit, nutum ejus voluntatis. Ita non est expectandum, ut nos Deus, extraordinario modo impellat ad faciendum bonum, vel fugiendum malum, sed tanquam Patrem diligentes Filij Divinam ejus voluntatem exeqvi curemus, quam primùm sui Superni nutus, & luminis radium, per rimas, ad ima cordis nostri affulgere senserimus. *Punct. III.* Fidelis Dei Servus Job, ad exquenda Cælestia mandata promptissimus, de se ipso
Job: 4. fatetur, quod loquentem sibi Deum: *Vocem quasi lenis auræ* audiverit. Ecce si svaviter, ac leniter, vocantem te modo ad perfectiora Deum audire negligis, metue! qvia veniet tempus, dum tonantem & fulminantem, cum majori tua pernicie audies.

Sabbatho. Punct. I. Audi Christum dicentem:
Joan: 10. *Erit unum Ovile & unus Pastor*, ex quo considera quod ipse Christus vivens in Mundo miraculis & prædicatione multum laboraverit, & adusque per suos Evangelicos Operarios laborare non cessat, ut errabundas Oves ad suum Ovile electum adducat, pauci tamen Vocem ejus audiunt. Gratias age Deo, quod tu unus ex mille, sub custodiam hujus boni Pastoris sis segregatus. *Punct. II.* Sancti Patres affirmant, quod ante Universale Judicium, cuncti Infideles, ad fidem Sanctam convertentur. Qvam deploranda tamen eorum cæcitas, quod tam serô Viam salutis amplexuri sint, cùm interea quotidie tam multi, non correspondentes vocanti, ac illuminanti Deo, in sua infidelitate damnentur. Habes bone Religi-
ose

ose unde glorieris, quod non solùm in fide Sancta, sed etiam in securo salutis portu per ingressum Religionis collocatus sis, verùm nisi hic Christiane vixeris, & Religiosis obligationibus satisfeceris, time! nè coram Deo ipsis *infidelibus deterior inveniaris. Punct. III.* O Fratres! qui in Ecclesia Militante, selecti ex millibus, sub uno Pastore in Congregatione Fidelium, connumerari gaudemus: sattagamus diligenter, ut etiam in Ecclesia Triumphante simul omnes, ubi erit unum Ovile Justorum, & unus Pastor Christus noster Salvator, inveniri mereamur. 1. Timot 5.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Evangelium. *Modicum & jam non videbitis me. Joannis.* 16.

Punct. I. COnsidera immensam Dei bonitatem ita ordinasse, quod omnia quæ Mundus ostentat modica sint, nam transeunt velut umbra, evanescunt sicut fumus, disparent velut fulgur, disrumpuntur, ut tenuis aquæ bulla, & hoc ideo, nè ijs immoremur, sed potius bonis æternum duraturis, cor animumque seriò applicemus. Cave igitur Religiosè, né gustu hujus transitoriæ modicitatis capiaris, qvi ad possidenda æterna, non verô hæc labentia à Deo vocatus es. *Punct. II Quid* deliciosi ostentat Mundus, his omnibus Deus appetitum rationalem, non temporaliter

ter satiare, sed solùm, ad æternum duratura allicere voluit, ut gustata horum modica svavitate, avidius æterna appetamus. Nè ergo decipiaris, ut pro temporalibus, amittas æterna. *Punct. III.* Si Mundanus oblectet honor, placent opes; ecce *gloria & divitiæ in domo ejus:* si cupis voluptates, desideras frui delicijs, assecurat Propheta: *Torrente voluptatis potat* Dominus convivas in Domo sua. Quæ igitur in Mundo placent, scito o! homo quod tibi Deus non auferre, sed imò perpetuari in Cælo voluit. Contemnentes ergo, hæc transitoria Mundi modica, *suspiremus ad illa*, æternum in Cælis duratura.

Psal: 111.

Psal: 35.

FEria. 2. *Punct. I.* Christus dixit Apostolis: *Modicum, & iterum videbitis me.* Ut quid quid patiendum occurerit, spe ejus Visionis beatificæ animati, vile & modicum in comparatione tanti præmij æstimarent. Ita & tu Religiose, quid quid adversi, & molestiarum patiaris, crede & spera, post modicum corruptibilis hujus vitæ, Christum in gloria visurus, de his omnibus plenè gaudebis, dum in præmio, clara Dei contemplatione satiaberis. *Punct. II.* Modicum videtur pugnasse Miles, dum ei gloriosa imminet Victoria: breves laborum Mercenario, apparent horæ, dum tempus recipiendæ obvenit solutionis. Ita ultimo vitæ passu, modicum te pugnasse, & laborasse existimabis, dum tibi in præmio & Victoria, felix ocurret æternitas. *Punct. III.* Servienti qvatuordecim annis Jacobo, pro Rachele, in frigore & æstu *pauci videbantur dies*

Genes. 29.

præ

præ amoris magnitudine. Qvam igitur minùs, nobis videri debet qvid qvid molestiarum in Religione, pro Cælesti animarum nostrarum Sponso toleraverimus, si tandem cum eodem, ad Nuptias æternum duraturas admitti merebimur? Hæc ergo considerans, non solùm patienter, sed etiam gaudenter adversa sustine, cùm pro tam modico æterna merces tibi promittatur.

FEria. 3. Punct. I. Christus dixit Apostolis: Joan:16. *Vado ad Patrem,* ut doceret nos, non aliter debere in hoc Mundo commorari, qvam in pleno ærumnarum exilio, & primò instante Morte aperietur nobis porta eundi ad Patrem, & ingrediendi Domum Cælestis Patriæ hæreditariam. Ne ergo hic tibi apropries possessionem, qui creatus es possidere Cælum. *Punct. II.* O! qvanta unicuiqve nostrum obveniret felicitas, si gaudenter in Mortis articulo, suspicientes Cælum possemus dicere: *Vado ad Patrem.* Sed certò certius credite, habebimus Patrem in Cælis, si nos per amorem, & observantiam mandatorum ejus, curaverimus esse Filij obseqventes in terris. *Punct. III.* Considera qvâ spiritus præsumptione Patrem speres in Cælis, qvi te eidem non Filium, sed infensissimum hostem, exhibuisti in terris? non conciliat, sed potius dulcem Patris affectum, stultus exacerbat Filius, qvi post illatas eidem mille contumelias, adhuc protervè contumax, usurpat sibi hæreditatis celsitudinem. Cura igitur nè peccans in Patrem, filialem simul amittas hæreditatem.

Feria.

FEria. 4. *Punct. I.* Confidera Chriftum dixiffe Apoftolis: *Mundus gaudebit.* Qvia ficut fvavi cantu, allicit volucrem Auceps, ad capturam, ut fimul & interimat: ita Mundus fuos fequaces, brevi demulcet oblectamento, paulô poft, æternis cruciandos tormentis. Pereat igitur hoc dulce venenum, quod dum fapit, ille qvi guftat perpetuò defipit. *Punct. II.* Gaudium Mundanorum in hoc confiftit juxta
Prove:2 Prophetam: *quod exultent in rebus peffimis.* Qvis autem poteft colligere de fpinis uvas? de urticis rofas? de venenofo latice, falubres guftare undas? ita crede nunqvam Mundus feqvacibus fuis vera, fed folum apparentia præfentat gaudia, quorum finis interitus, medium brevitas, initium fallacia. Ergo oblectet qvemqve cæcum, fua voluptas. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JESU meo. Punct. III.* Navigantes in Mari, fvavis Syrenarum fopit cantus, ficqve demum fopitos funeftè interimit. Si ergo juxta Auguftinum: Sæculum præfens Mare eft, ubi Mundus arridet ut fæviat, blanditur ut fallat, allicit ut occidat: fubfcribit Cyprianus: Qvis igitur fecurè cum ipfo gaudere præfummet?

FEria. 5. *Punct. I.* Sortem Servorum fuorum defcribens benigniffimus Salvator dixit: *Vos flebitis.* quod etiam exemplo fuo confirmavit, dum fæpius fleviffe, nunquam verò rififfe legitur. Ita Mundanorum Sardonicus eft revera rifus, quô correpti exanimantur. Servi autem Dei, eftò nocte & die cibentur pane lachrymarum, fed ejufmodi dulci alimento, nu-

triunt animas suas, in vitam æternam. *Punct. II* Servi Dei præsentis, vitæ in fluxu qvasi exules *super flumina Babylonis sedentes*, lachrymabundi Patriam Cælestem respiciunt. Sed certificati à Deo: quod *Beati qui lugent quoniam consolabuntur.* plus dulcedinis ex proprijs capiunt lachrymis, quam Mundani in omnibus suis gaudijs. Si ergo tibi adhuc placet gaudere cum Mundo, signum est, quod hic, non in Cælo, præfigas tibi Patriam. *Punct. III.* Servis Dei, est qvædam *flendi voluptas*, nam sicut post intensum Solis ardorem, sæpè pluvia seqvi solet, ita ardens amor, excitat compunctionis lachrymas, & rursum ex compunctione lachrymarum, ardor Divini desiderij fervescit, veluti post imbres, Sol denuô vehementius adurere consvevit. *Absterget tamen Deus, omnem lachrymam ab oculis eorum.* & introducet in gaudia Electorum, ubi neqve luctus, neque dolor erit ultra. Felix igitur fletus, quem tanta solatia seqvuntur.

Psal: 136
Math: 5
Apocal: 7.

FEria. 6. Punct. I. Considera Christum dixisse ad Apostolos: *Vos contristabimini*: qvasi inter gaudia Mundana, propriè Apostolorum esset contristari, Sicut enim *tristitia* alia est per excessum & inordinata, qvæ Mundanorum torqvet animos, dum quod possident cum nimio amore, non amittunt, nisi cum excessivo dolore. Alià tristitia Servorum Dei ordinata, per quam & siquid sensibilitatis pro debito naturæ exsolvant, sed tamen plena in Voluntatem Dei resignatione, incidentem sibi dulcorant amaritudinem. Cura ut in tuis passioni-

onibus ejusmodi habeas moderamen. *Punct. II.*
2. Co. S. Paulus laudat *tristitiam* in Servis Dei di-
rin: 7 cens: *Gaudeo quod contristati estis ad pœniten-*
tiam. Sed illam solum intelligit tristitiam,
quâ pij fideles tam sua, quam aliorum deflent
peccata, dolent de amissa gratia, de parvo spi-
rituali profectu, de acerba Christi Passione;
hoc autem faciunt svavi, ac ordinatissima ani-
mi compositione, cum ejusmodi tristitia non
sit pœnalis, sed dulcis gratiæ Spiritus Sancti
fructus: & de eodem verificetur, non quod sint
2. Co tristes: sed juxta Apostolum: *Quasi tristes, sem-*
rin: 6 *per autem gaudentes.* *Punct. III.* *Tristitia quæ*
2. Co
rin: 7 *secundum Deum est, pœnitentiam in salutem ope-*
ratur, sæculi autem tristitia mortem operatur,
dicit Apostolus. Unde vel maximè cavenda
est inordinata tristitia, nam hæc Animam
turbat, inordinatos ei inijcit timores, orati-
onem reddit insipidam, cerebrum obruit, pri-
vat consilio resolutione & judicio, per hanc
denique Dæmon nos in bonis operibus langvi-
dos & torpidos reddere conatur. Contra hanc
consilio Magni Antonii prævia Oratione de-
vota: *Lectio. scripta labor, tædia cuncta fugant.*

Sabbatho. Punct. I. Considera Status Bea-
torum felicitatem, quod sit, non solùm aggre-
gatione omnium bonorum perfectissimus, ul-
tra quem nihil melius & felicius desiderari
possit; sed etiam plenè mentes beatorum qvie-
tans, quod perpetuò & in æternum sit dura-
Joann 6. turus, juxta promissum Christi: *Gaudium vc-*
strum nemo tollet à vobis. Contemnentes igi-
tur, quid quid nobis Mundus ad transitoriam

oble-

oblectationem ingerere posset, suspiremus ad illam perenniter duraturam. *Punct. II.* Considera, si in brevi duratura hujus Mundi voluptate, tantum placet oblectari hominibus, quod pro eadem Vitam & animam sæpè perdere non vereantur: qvantum ergo de perpetuô duratura felicitate & securitate, beatæ mentes gaudebunt in Cælis? hæc recogita, & illis aggregari sattage. *Punct. III.* In præsentis vitæ statu, nullum perfectæ qvietis habemus momentum, nam velocius ipso fulmine, ad præfixum nobis æternitatis tendimus centrum: ibi primô juxta Christi promissum: *Sedebitis.* qvia cum æternitate, sinè alterabili amplius temporis fluxu, perfectam, qvietam, & totam simul, interminabilis vitæ, capiemus possessiônem. O felix sessio! o! qvies æterna, utinam post fastidiosum vitæ præsentis cursum, ad te tandem perveniamus. Math. 19

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Evangelium. *Vado ad eum qui me misit. Ioannis.* 16.

Punctum. I. Considera Christum dixisse Apostolis: *Vado ad eum qui me misit.* Cujus oraculo docemur, & exemplo movemur, quod nos Deus, ideo creaverit, & in Mundum miserit, ut tanqvam soliciti Viatores, per hujus sæculi desertum, non aliter, quam viâ Mandatorum ipsius, & tritis Christi vestigijs

procedamus, & ita cautè ambulemus, ut ad ipsum, à qvo per creationem exivimus, iterum revertamur. Vide itaque & attentè considera, utrum hanc Divinam expleas ordinationem? *Punct. II.* Christus in finali Judicio dicet Beatis: *Venite & possidete paratum vobis Regnum à constitutione Mundi.* Reprobis verò: *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo,* ex quo apparet quod hominem non nisi pro Cælo, & Cælum pro homine condiderit: Infernum autem pro diabolo, & seqvacibus ejus. Frustras igitur Creatoris, profusam in te bonitatem, si non ipsius ductum, sed perniciosum Mundi, carnis, vel Dæmonis seqvaris instinctum. *Punct. III.* Quid sunt tot naturæ, gratiæ, ac Sacramentorum, & per singula denique momenta, collata nobis à Deo dona? nisi profusissima ejus bonitatis adjumenta, qvibus nos ad æternam cupit perducere gloriam. His itaque vijs tu præsertim anima Religiosa, in omni vitæ tuæ passu, ita procede, nè à præfixo tibi felicis Patriæ devies termino.

Math:25

FEria. 2. Punct. I. Evangelicum *quo Vadis* quamvis meritò omnium Christianorum, signanter verò Religiosa debet pulsare corda, ut quisque in sortem famulatus Divini vocatus, omni viæ & vitæ tuæ passu attentè prospicias: *Quo vadis?* Considera igitur, si actionibus tuis, per exactam Regulæ & Præceptorum Dei observantiam incedas? & fini ac Vocationi tuæ exactè correspondeas? *Punct. II.* Si homo pervenire velit Romam, proficiscatur

verò

verò Constantinopolim, indubitanter Constantinopolim, non Romam perveniet? aut vadens ad Orientem, non nisi rationis expers, putabit se ad Occidentem perventurum: Ita ô! Religiose vide: *Quo vadis*? Si enim contraria Votis & Professioni tuæ agis, quomodo ad promissam tibi Cælestem Patriam: *Si hæc observaveris, promitto tibi vitam æternam.* pervenire poteris? *Punct. III.* Si creatus à Deo Sol, ut Orbi luceat, produceret non lucem, sed tenebras, ignis non calefaceret, sed esset frigidus, aqua non esset fluida sed lapidea, plantæ & arbores non producerent flores ac fructus, sed ranas, qvàm monstrosum foret in orbe chaos? Ecce tu idem facis inobservans Religiose, dum creatus, & vocatus à Deo ad Religionem hoc fine, ut ipsum cognoscas, cognitum ames, & juxta Vota Professionis tuæ eidem servias, tandem salutem æternam obtineas: tu verò è contra Religiosus, irreligiosus, non Deo sed proprijs serviens passionibus, difformiter agis tuæ Professioni, monstrosum solo habitu, non verò moribus præsentans Monachum. Vide igitur *quo vadis*, & qvo hac via pervenies?

FEria. 3. *Punct. I.* Christus dixit Apostolis: *Nisi ego abiero, Spiritus Paracletus non veniet ad vos.* Cùm enim Apostoli solummodo Christum dilexerint sensualiter, & secundum speciem ac dotes ipsius externas, bonitatis scilicet mansvetudinis, misericordiæ; ideoqve nisi eisdem suam corporalem subtraxisset præsentiam, Spiritus Sancti illapsu non fuissent digni. Considera hinc, qvantùm nos reddamus

indignos gratia Spiritus Sancti, si ea quæ carnis & Mundi sunt inordinatè diligamus! *Punct. II.* S. Augustinus in Persona Christi, alloqvitur Apostolos dicens: Si alimenta tenera, quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum, non esurietis, si carni carnaliter adhæseritis, capaces Spiritus non eritis; non enim potestis capere spiritum, qvamdiu secundum carnem persistitis noscere Christum. Si ergo adventus Spiritus Sancti in corda Apostolorum, ipsa corporalis Incarnatæ Majestatis præsentia, afferre poterat impedimentum heu! qvantum ad Mundana & carnalia objecta effrons affectio Cælestium donorum in corda nostra impediet influxum? *Punct. III.* S. Gertrudis, per novem annos, continua visione præsentiæ Christi solabatur, ob levem tamen mundani sermonis prolationem, undecim diebus, hoc Cælesti fuit privata Privilegio: Cujus disce exemplo; non aliter te posse invenire, & conservare, Spiritus Sancti consolationem, nisi pro amore Dei, omnem carnalem abjeceris delectationem.

Kempen.

Feria. 4. Punct. I. Effectum gratiæ inhabitantis Spiritus S. in hominibus, dixit Christus esse: qvod *Arguat Mundum de peccato.* Infelix enim status est illius peccatoris, qui conscientiam suam habet varijs inqvinatam sceleribus, attamen cæcitatis lethargo sopitus, nihil in se mali observat, sed qvietè in suis consvetis permanet vitijs, imò cæteris pejor, melior tamen omnibus esse contendit. Considera utrum & tu adhuc sentias, Divinæ gratiæ impul-

impulsus, resurgendi à malo, & faciendi bonum? *Punct. II.* Pessimum genus morbi est, non sentire morbum, quia sanari non curatur: incisiò membri necessariò fieri debet, quod cum suo vulnere, non habet amplius sensibilitatem. Ita signum est, quod non sis vivum in corpore Christi membrum, si te amplius, arguens de peccato conscientia ad resipiscendum non stimulet. *Punct. III.* Neglecto Domini mandato, securè dormit Jonas, donec projectus in Mare, horrida piscis devoratione ad obsequendum Deo compellatur. Ita felix adhuc spes & tui profectus, quamdiu te conscientia arguit & terret de peccato, nam postqvam in hoc securè consveveris dormire, non amplius evigilabis in Vitam æternam. Jone: 1.

FEria. 5. *Punct. I.* Gratia Spiritus Sancti testante Evangelio: *Arguit Mundum de Iustitia* hoc est facit homines Spirituales & qvantumvis perfectos, humiliter de suis operibus sentire, juxta illud monitum: *Etsi feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus.* Si ergo existimas te aliquid esse, cum revera in occulis Dei nihil sis, non Spiritu Dei, sed Spiritu maligno duceris, & perniciosè seduceris. *Punct. II.* Beatæ Catharinæ Genuensi, ostensa fuit minimi defectus contra Deum facti offensa, cujus tanta fuit enormitas, quod nimio horrore correpta, mori debuisset, nisi visio cessasset. Si ergo leves defectus, tantum animæ inferant horrorem, quid tu de tua sentire debeas justitia, quæ mille implicata est defectibus & imperfectionibus: & hanc ille Di- Luc: 17.

vinus intuetur oculus, qui & in Angelis reperijt pravitatem. *Punct. III.* S. Gregorius dicit: Plerumque hi, quos jam perfectos homines æstimant, adhuc in occulis summi Opificis, aliqvid habent imperfectionis, Cum homines videant in facie, Deus autem solus intueatur cor. Noli igitur de tua præsumere justitia, sed humiliter dicas semper cum Apostolo: *Etsi mihi nihil conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum.* & sic humiliatus facilius justificaberis.

1. Corint:4

Feria. 6. Punct. I. Considera quod gratia Spiritus S. *Arguat Mundum de Judicio.* Nè scilicet Proximorum dicta & facta sinistrè judicemus, licet enim apertè peccantem videres, non propterea tu qui multum Oras, jejunas, aut si etiam miracula faceres, meliorem te alijs æstimare deberes, nam Pharisæus bis in Sabbatho jejunans reprobus, multi miraculorum patratores condemnati; Magdalena verò publica peccatrix salva facta est. Ita etiam Deus tuam, si alta præsumpseris conteret superbiam. *Punct. II.* Qvidam Religiosus Oravit Deum, ut sibi revelaret, qua nam via Sancti Patres antiqvi, ad tam excellentem pervenerint perfectionem? Cui libro inscripta aureis literis, hæc monstrata sunt verba: Antiqvorum Patrum hæc fuit perfectio: *Amare Deum, Seipsum contemnere, spernere neminem, nullum vel in minimo sinistrè judicare.* Ecce si & tu ad eminentem aspiras perfectionem, hanc brevem ad eam perveniendi amplectere viam? *Punct. III.* Propheta Isaias commina-

Luc 18.
Joan. 12.

tur: *Væ! illis, qui dicunt malum bonum, & bonum malum.* quod tunc facimus, dum alienæ famæ invidi, Proximorum nostrorum bona etiam opera in malam partem interpretamur. Cave igitur, nè malitiosus Fratrum tuorum osor coram Deo inveniaris, & eodem tandem judicio, quô sinistrè Proximum judicas, & ipsemet severè à Deo judiceris. Isai: 5.

Sabbatho. Punct. I. Considera, quod promissus Apostolis Spiritus S. *Docuerit eos omnem veritatem.* quia in veritate *omnia*, quæ in Lege Scripta, & traddita erant, observari debebant. Tu verò, signum est, quod non ducaris instinctu Spiritus Sancti, dum non *omnia*, quæ tibi Præceptis Dei & Regulæ, sub gravi obligatione præscripta sunt, sed tantum quæ placent observas. *Punct. II.* Memento doctrinæ Apostoli dicentis: *Qui in uno offenderit, factus est omnium reus.* Ita Frater Religiose, & si unum ex Viginti qvinqve Præceptis Regulæ, obligantibus sub mortali, non observaveris, quasi totius Legis violator, cùm tibi sinè hoc cætera non poterunt prodesse ad salutem, certò certius, nisi emendaberis, damnaberis. Per salutem igitur animæ tuæ, *omnia* quæ vovisti observa, ut omnia tibi promissa à Deo præmia conseqvaris. *Punct. III.* Erronea quorundam Hæreticorum fuit opinio, qui se putabant Salvos, & Sanctos fore, si darent elemosynam, & si cætera Dei præcepta violarent, eò quod Christus dixerit: *Date elemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Ita errore seduceris, quisquis putas verum te esse Jacob 2. Luc. 11.

Dei

Dei Servum, & Regulæ Professorem, nisi *omnia*, qvæ per eam obligatoriè Deo vovisti, integrè & exactè observes.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Evangelium. *Amen dico vobis si quid petieritis Patrem. Joan.* 16.

Punct. I. COnsidera qualiter Christus Dominus, ante suam in Cælos Ascensionem, ad Orationis studium animaverit Apostolos dicens: *Si quid petieritis Patrem meum in Nomine meo dabit vobis.* Qvi ergo pauperes, miseri, & omnibus calamitatibus opressi sumus, in præsentis vitæ exilio, quam optabilis facta est nobis hæc promissio, ut quod petierimus in Christi nomine Pater Cælestis dabit nobis. Extollamus igitur per humilem Orationem, manus nostras in Cælum, ut Paternum ejus auxilium, in tantis necessitatibus efficaciter sentiamus. *Punct. II.* Sanctus noster Patriarcha, Studium Orationis & devotionis in sua Religione, præ omnibus alijs exercitijs, practicari voluit, nam Oratio dicente S. Justiniano: Placat Deum, lætificat Angelos, redolet Sanctos, postulata reportat. Tu autem confundere, quod tam piger, & tardus sis, ad hocce Sanctum & salubre cum Deo tractandum negotium, per quod omnia tibi salutaria ac necessaria impetrare poteris.

Punct.

Punct. III. Si Rex, Princeps vel liberalis Dominus, suos invitaret subditos, eisque verbo suo Monarchico promitteret, ut quid quid ab eo peterent, indubitanter impetrarent: credo quod nullus esset, qui ejusmodi negligeret gratiam. Ecce hoc Rex Regum & Dominus Dominantium, fidelibus suis appromitit, ut quid quid salutariter peterent, hoc impetraturi essent. Signum igitur est, quod exiguam in meritis Christi fidem, & parvam in bonitate Dei habeas confidentiam, si in necessitatibus tuis per Orationem ejus non implores largitatem & clementiam.

FEria 2. Punct. I. Considera quod juxta promissum Christi, tanta sit Orationis Virtus, ut quidquid in Nomine ejus à Patre Cælesti petierimus, hoc indubitanter impetraturi simus: Sed ut Oratio nostra efficax fiat, audi S. Augustinum dicentem: Oratio justi, clavis est Cœli, ascendit precatio, & descendit Dei miseratio, licet altum sit Cœlum, audit tamen Dominus hominis lingvam, si mundam habeat conscientiam. Si igitur Oraturus Dominum accedas, ut quod petiturus es obtineas, prius cor tuum à sordibus delictorum mundatum habeas. *Punct. II.* Pater Justinus Capucinus, raptus in spiritu, sub tempus Matutini, venit ad Chorum, sed ibidem solos latratus, grunitus & horibiles bestiarum mugitus audivit, simulqve vocem sibi dicentem: Illorum Religiosorum preces, qvi dissolutè vivunt Regulam negligunt, aliosqve rectè viventes impediunt, nihil aliud sunt, Joan. 16.

quam blasphemiæ & voces belluarum. Qui igitur hæc legis vel audis, per Deum vivum, reflectas conscientiam tuam, nè dum Observare Regulam negligas, tales etiam belluinas Orationes absolvas. *Punct.* III. Pro firmo & rato spondet Psalmographus; quod non
Psalm: 33. nisi *Occuli Domini super justos, & aures ejus in preces eorum* Mundam igitur habeas conscientiam, si à Deo per Orationem velis obtinere, gratiam.

FEria 3. Punct. I. Considera quod *secunda* conditio Orationis, ut sit Deo placens est Orantem debere preces suas absolvere humiliter ac
Luc. 1. devotè, nè potius tanqvam alter Pharisæus, propter occulos & laudem humanam fastuosè, sed humiliter, nè distractè perfunctoriè irreverenter, sed devotè & ferventer Orationem suam absolvat. Reflectas te igitur quo spiritu, & intentione preces tuas offeras Domino! *Punct. II.* Oraturus Dominum Propheta, ab
Genes. 18 his incipit verbis: *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis.* Et revera si à Rege vel Principe terreno suppliciandus experteres gratiam, vel in exigentijs favorem, qvanta cum humilitate & animi submissione, id faceres? dum autem coram Rege Cælesti infinitæ dignitatis, compares Oraturus, miser homo. qvam longe profundiori id præstare debes cum humilitate? hæc recogita, & qvid qvid contra deliqvisti, seriò emenda. *Punct. III.* Homo hominis videt faciem, audit verba, sed solus Deus præterea, etiam cor intuetur. Unde monet Augustinus: Cùm oratis Deum. hoc ver-

setur

fetur in corde, quod profertur ore, Non enim plus delectatur Deus in oratione vocali, fa- Belovac
cta sine attentione mentis, quam in cantu, sive garritu avium, aut grunitu animalium. Ascendat ergo in fervore & devotione cordis, sicut incensum Oratio tua in conspectum Domini, & tunc qvod petieris, salutariter impetrabis.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, quod Oratio nostra, ut reddatur fructuosa, debeat esse *Constans & perseverans*, cum firma fide ac spe obtinendi quod petitur. Nam S. Gregorius dicit: Deus vult rogari, vult cogi, vult quodammodo importunitate vinci. Unde & ipse Salvator, in horto Gethsemani orans prostratus in terram, eundem ter repetijt sermonem. Sis & tu perseverans in Oratione, ut efficaciter obtineas, petitiones cordis tui. *Punct. II.* Ipse Christus docuit: *Omnia quæcunque Orantes* Marc: 11.
petitis, credite quia accipietis, & venient vobis. Apostolus etiam monet: *Postulet autem in fide* Jacobi 1.
nihil dubitans. Quibus monitis docemur, ut perseveranter orantes, si exaudiri optemus, plenam impetrandi fidem habeamus. *Punct. III.* Qvoniam juxta Christi mandatum: *Quærite* Math: 6
primò Regnum Dei. illa præprimis, quæ salutem nostram concernunt petere obligemur, cætera verò temporalia, non nisi, prout gloriæ Dei, & nostræ saluti sint expedientia: Ideoque si Deus nostra differat desideria, aut neget gratiam, hoc ipso magnam facit gratiam. Nam dicit Aqvinas: *Frequenter Deus non exaudit Orantes ad votum, ut eos exaudiat ad profectum.*

ctum. Ex quo ad solatium Spiritus tui disce, semper devotam Orationem, Salutarem nobis conciliare fructum, qvamvis non eô quo tu velis, sed quo ipse Deus melius novit modo, operetur effectum.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Evangelium. *Recumbentibus undecim Apostolis. Marci* 16.

Punct. I. COnsidera cum qvanto triumpho ac Majestate, stipatus Angelorum Choris, & Sanctorum Patrum è Lymbo eductorum turmis, Christus Salvator noster, postquam triginta tribus annis, de torrente mortificationis in via bibisset, omnes praesentis vitae amaritudines; hodie in conspectu suae Sanctissimae Matris, Apostolorum, caeterorumque Fidelium, gloria & honore coronatus, Corporisqve gloriosi dotibus exornatus, Victor Caelum, propria virtute conscendit. *Punct. II.* Magna profectò & nobis hodie Spiritualis gaudij recurrit occasio, dum Salvator noster Christus, sicut sua Resurectione, nostrorum corporum, futuram praenuntiavit Resurectionem; ita sua triumphali Ascensione, nostram in Caelos firmavit Ascensionem; cùm Leo. Pap: ejus Ascensio sit nostra provectio, ut quo praecessit gloria capitis, & nos membra ejus sublimemur. *Punct. III.* Considera quod Sancti Apostoli, caeterique pro tunc fideles, sicuti

erant

erant aliquo modo adhuc de Christi morte trepidi, de fide Resurectionis ambigui, ita hodie primùm, virtute perspicua roborati, dum amabilissimum suum Magistrum & Redemptorem, occulis proprijs viderunt, gloriosè in Cælos ascendentem, & quod eis prædixerat, efficaciter adimplentem. Hic igitur & nos memores verborum ejus; qvi dixit: *Postquam exaltatus fuero à terra omnia, traham ad me ipsum.* Supplici corde exoremus: Trahe nos post te ô benignissime JESU, & curremus in odorem mandatorum tuorum. Joan: 12.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera Christum Dominum ascendisse in Cœlum, ut Apostolos suos, ab amore naturali, quò ferebantur erga ipsius humanitatem separaret, & corda, ac desideria eorum, post se in Cælum traheret, nè quidquam terreni saperent, sed solùm quæ Cælestia sunt desiderarent. Sicut & nos commonet Apostolus dicens: *Quæ sursum sunt quærite*, non quæ super terram. Vide si tu è contra magis nonquæras terrena, quàm Cælestia. *Punct. II.* Christus Dominus, in sua Ascensione, est illa mystica Aqvila, quæ ideo se se sublevavit, ut nos quasi pullos suos ad volandum post se provocaret. Ipse est thesaurus noster, ergo ubi ille est, sit & cor nostrum, Ipse est caput nostrum, ergo ubi illud, & nos ejus membra seqvamur. Ipse nostrum centrum, ergo amor noster, & omne pondus desideriorum nostrorum, ad ipsum tendere debet. *Punct. III.* Christus amabilissimus Salvator noster, ante suam in Cælos Ascensionem, Oravit Patrem æter- Colos: 3. Deuter: 32 Luc: 12.

Joan. 17. æternum, pro suis fidelibus dicens: *Volo ubi ego sum, & illi sint mecum.* Et ad Apostolos ait: *Vado parare vobis locum.* Si ergo appromissæ qvietis & hæreditatis nostræ locus Cælum: contemnentes igitur, quid quid Mundus offert, totis desideriorum affectibus suspiremus ad illud.

Sabbatho. Punct. I. Christus Dominus Ascendens in Cælum, præcessit nos, ut post ipsum ascendamus. Sed audi S. Augustinum dicentem: Cum Christo non ascendit Superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium cum Medico nostro ascendit: & ideo si post Medicum nostrum desideramus ascendere, debemus vitia, & peccata deponere. Ecce habes modum quô Cælum conscendas, ut omnino prius vitia & peccata, quibus obnoxius es deponas.

Ephes. 4. *Punct. II.* De Christo dicit Apostolus: *Qvi descendit, ipse est qui ascendit super omnes Cælos.* Qvia omnis qui se humiliat, exaltabitur. Ac propterea animat nos S. Aqvinas dicens: *Qui voluerit salvari, discat prius humiliari.* Si cupis ascendere in Cælum, prius descende in tui nihilum. *Punct. III.* Idem Sanctus Ecclesiæ Doctor, sanctam docet nos industriam, quonam modo Cælum conscendere possimus inqviens: *De vitijs etiam proprijs, Scalam nobis*

S. August. *ad Cælum facimus, si eadem vitia calcamus.* Qvoties igitur Religiose Frater, defectuosam vincendo passionem calcas, toties tibi novum gradum ascensus in Cælum comparas. Sed cavè nè è contra, victus passione, præceps ad infernum cadas.

DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS DOMINI.

Evangelium. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis. Joan.* 15.

Punct. I. COnsidera quod Apostoli, quamvis triennio in Schola Christi, Evangelicam audiverint doctrinam, multa tamen, ob ruditatem ingenij, aut sublimitatem mysterii non intellexerunt, unde promissus ipsis fuit Spiritus Sanctus, qui eos *doceret omnia*. Ita Fratres, qvamvis multi inter nos Sapientes, multi Doctores, imploranda tamen est gratia Spiritus Sancti, ut illa quæ Scientificè didicimus, fructuosè etiam ad profectum nostrum Spiritualem exequamur. Quid enim prodest alta de Trinitate disputatio, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati? Kempen *Punct. II.* Verùm est, quod tam per freqventem spiritualium Lectionum auditum, quàm variorum Authorum & Decretorum decisiones, illustrati simus, quid nobis per Sanctam Regulam liceat, quid sit prohibitum; attamen ex his omnibus, quasi nihil intelligentes, non quod licet, sed quod lubet facimus. Reflectamus igitur seriò conscientias nostras, & omni conatu sattagamus, ut non solùm, quæ ex Voto Sanctæ Professionis ad nos pertinent sciamus, sed & ipso opere compleamus. *Punct. III.* Multa

per

per abusum mortaliter culpabilem practicantur, & ipsimet, non utrum liceat inqvirimus, sed quod alij faciunt, & nos cæca fronte practicamus, sicque habitualiter in malo statu perseverando, etiam Sacramentales Confessiones, defectu firmi emendationis propositi, Sacrilegas facimus. O! quam necessarius ergo est nobis Spiritus Veritatis, quô illustrati, pernitiosos ejusmodi errores cognoscere, & emendare possimus.

Joan: 15. *FEria.* 2. *Punct.* I. Considera Christum Dominum monuisse Apostolos dicens: *Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum reminiscamini.* Nè scilicet eorum obliviscantur, quæ ipsis præcepta sunt, sed sæpius mente revolvant, quæ obligatoriè conscientias ipsorum onerant. Utinam hoc salutare excitatorium in horas, & mentes nostras pulsaret; ut quisque quod obligatorie tenetur, exequi diligenter curaret. *Punct.* II. Monet Kempensis; quod de die in diem, de festo in festum, debeamus renovare nostri profectûs proposita, quasi jam tunc essemus de corpore migraturi, ut hoc modo, ardentius in nobis Spiritum Observantiæ conservemus. Nam & Aves, statim in terram delabuntur, nisi alarum suarum libramenta sæpius iterent, ac multiplicent: ita & nos, facilè pondere carnis pressi, à nostro in Deum volatu, in terram delabimur, nisi firma proficiendi proposita frequenter renovemus. *Puct.* III. Aurea, gemmisque ornata habentur horologia, sed nisi quotidie suo attractu intendantur, à punctuali horarum signa-

gnatione cessant. Ita & cor nostrum, facilè in servitio Dei hebescit, nisi illud freqventi propositorum renovatione excitetur. Cura igitur qui hæc audis, nè & tu in tam necessario salutis negotio frigide & remissè procedas.

FEria. 3. *Punct. I.* Considera quod postquam Christus Apostolis, multa salutaria tradidisset præcepta, simul eosdem commonuit. *Ut eorum reminiscantur.* Qvid enim ad salutem juvat, multa bona sæpius audivisse, sed cùm solo verborum sonitu, omnia ex mente & corde evanuisse. Ita reflectat quisque conscientiam suam, nè multa bona sciens, & Dei sui voluntatem non faciens, tanquam malus Servus, vapulet multis. *Punct. II.* Stupet Luc. 12.
Propheta cruciatum Mulieris, quæ fætu maturato: *Non habuit virtutem pariendi.* Ita quid Isai: 37.
proderit nobis ad salutem? estò mente, tot bona proposita concipiamus? quamvis intellectum tot salutaribus doctrinis fæcundatum habeamus? sed si virtutem pariendi, idest ipso opere exeqvendi præconceptam voluntatem non habemus: Certò certius, excruciatum inde potius infernalem, quàm solatium Cæleste reportaturi. *Punct. III.* Doctrinæ Spirituales sunt Cibus mentis, & spirituale alimentum, sed quis quis langvente Stomacho alimenta non retinet, hujus profectò vita desperatur. Undè etiam tibi o! Religiose meritò formidandum, dum cibum Sanctarum exhortationum sæpius quidem summis, sed ipsa verba vitæ, quæ sunt alimenta justitiæ, in memoria non retines, multò minus opere exeqveris.

qveris. Qvapropter nè hoc tam grande periculum incurras, illos qui Doctrinas Spirituales mente retinent, & opere exeqvuntur, immitari studeas.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera Christum præmonuisse Apostolos: *Ut non scandalizemini.* Qvamvis enim omnia ipsius dicta & facta fuerint Sanctissima, quia tamen malus homo, etiam de bono opere scandalizari solet, veluti malæ dispositionis stomachus, etiam sanissimam abominatur Medicinam: Qvantò igitur magis nos cavere debemus, ne ipso opere malo, Proximum Scandalizemus. *Punct. II.*
S. Gre-gor. Nullum profectò Fratres charissimi, ab alijs majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tollerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Et qvanto adhuc gravius, à te patitur Religioso, qui fune nodoso, vota essentialia signante ligatus, cinericio Habitu, tanquam Mundo mortuus, ipsa terra videris opertus: Capucio tanquam panno mortuali, ab aspectu objectorum mundanorum, tectos habens occulos; heu! quam enorme Scandali simulacrum, si contraria tuæ agas Professioni! *Punct. III.* Si quis alteri furetur aureum, in praxi habetur resolutio: quod non dimittatur peccatum, donec restituatur ablatum. Tu autem Proximum scandalizans, si ejus Animam, omni auro pretiosiorem, quia Christi Sangvine apretiatam Cælo abstuleris, & perdideris, qvalem igitur Deo facies restitutionem?

Joan. 15. FEria. 5. *Punct. I.* Considera Christum prædixisse

xiſſe Apoſtolis futuram perſecutionem; dum dixit: *Abſque Synagogis facient vos*. Per quod præmonebat eos, nè inter malos & perverſos, commorando, eorum pravis moribus corrumpantur; nam cito diſcitur patrari ſcelus, quod ab alijs perpetrari videtur. Facilè contrahit morbum, qui cum ægrotis ſinè cautela converſatur. Si ergo & tu adhuc bonus es, cave nè malorum exemplo corrumparis. *Punct. II.* Æternæ Veritatis oraculum eſt: *Qui amat periculum, peribit in illo*. Cùm enim homo, ex animi ſui infirmitate, magis ſit ad malum, quam ad bonum proclivior. Si ergo infirmus, in ſuprema præcipitij crepidine, dum eum nihil impellit, ſtare non poteſt, & quomodo ab objectis amabilibus tractus, ac animi ſui motionibus fortiter impulſus, à lapſu continere ſe poterit? Quod & tu centies expertus, adhuc tamen incautus periculum cavere non vis. *Punct. III.* Turbatum procellis Mare procul ab eo diſtantibus, nihil nocet. Piſcis non haberet quod timeat, ſi hamum vitaret. Venenum nulli nocet, niſi delibetur, ignitus carbo urit, ſed non niſi tangentem. Ioſeph in domo Putiphari, fuga uſus eſt pro armis, nè peccato ſuccumberet. Ita quiſquis mortalis Lapſus cupis evitare periculum, fuge occaſionem. Sed quid quæſo ſperes, qui non fugis, ſed imò induſtrioſè quæris labendi facilitatem?

Eccleſ. S. Agu

FEria. 6. Punct I. Chriſtus Dominus dixit Apoſtolis: *Qui interficit vos, arbitratur obſequium ſe præſtare Deo*. Ex quo conſidera: dari in hominibus alioqvin etiam doctis, conſci-

Joan. 15.

entiam ita erroneam & cæcam; quod illa quæ ſunt minoris momenti, ut grave caveant crimen; quæ verò graviter obligant, aut parum, aut nihil curant. Vitam ergo veſtram Fratres chariſſimi, ante occulos mentis veſtræ ſeriô revocate, & alta conſideratione, quod ex ore veritatis ſonat pertimeſcite? nè ſcilicet ita cauteriatam habentes conſcientiam, dum non advertitis, æternaliter animam perdatis. *Punct. II.* Pharisæi Apoſtolos graviter judicabant & reprehendebant, quod *non lavarent manus, dum panem manducabant.* & non obſervarunt, qvaliter propriæ ipſorum conſcientiæ infectæ erant Luxuria, rapinis, ſuperbia; ſiniſtris de proximo judicijs. Ita freqventer & nos, in occulo proximi, minimi defectus obſervamus feſtucam, & in propria conſcientia, trabalem Legis exceſſum, quem pro ſolito practicamus, non advertimus. Laudabile igitur eſt, minimas etiam contra legem cavere noxas, ſed prius diligenter qviſqve conſcientiam ſuam examinet, & inſpiciat, nê in eadem gravis Dei offenſa lateat. *Punct. III.* Concurrunt Scribæ, & Phariſæi, die Paraſceves, ad portam Judicialis Prætorij, urgenter apud Pilatum inſtando, ut Chriſtus crucifigatur, ſed cum lex prohiberet ingreſſum domus hominis gentilis: *Non introierunt, nè contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Ecce qvantus error, & conſcientiæ cæcitas ingreſſum Prætorij, ducunt ſibi ſcrupulo, ut mundi Agnum Paſchalem manducent; & polluere manus, ac corda ſua Sangvine Chriſti Agni innocen-

Math:15 (margin, beside "rent manus")

Joan:18 (margin, beside "hominis gentilis")

centis, eumque crudeli interimere supplicio, pro hæroica sibi habent virtute. Qui ergo Sapiens es, justè sapias, si Doctus, temetipsum,& alios doceas, nè simili opinione erronea in agendis, conscientiam propriam decipias.

Sabbatho. Punct. I. Verba Christi Evangelica: *Cùm venerit hora reminiscamini.* Sancti Patres, ad fundandum magnum Spiritualem profectum assumpserunt: ut scilicet qui ob varias præsentis vitæ curas,& distractiones, prolixis Orationibus Deum laudare non valemus, non tantum in horas, sed etiam quàm freqventissimè, per elevatæ mentis suspirium, preces *jaculatorias* usurpemus. His & tu asvescas, ut tali amoris jaculo, cor Dei attingas.

Punct. II. S. Evagrius Abbas suos Monachos moriturus testamentaliter hanc Orationem docuit: *Domine sicut scis, & vis miserere mei.* S. Noster Pater Franciscus, Seraphicis inflammabatur ardoribus dicens: *Deus meus & omnia!* S. Augustini affectus: *O! Deus noverim te, & noverim me.* S. Brigittæ dixit Christus: *Qvicunque fide, & voluntate perfecta dicit hæc verba JESU miserere mei. magis mihi acceptus est, quam is, qui mille versus sinè attentione pronuntiat.* Tales igitur & his similes aspirationes usurpando, & tu plurimùm Deo placebis.

Punct. III. Affectus jaculatorij, sive breves aspirationes, præterquam, quod sint maximi meriti, quia sinè ulla distractione in instanti, quasi amoris sagitta ad Cor Divinum evolantes, etiam à nobis facilius & commodius usurpandi, quàm aliæ Orationes, quia omni loco;

tempore, five etiam inter alios difcurfus, ftando five fedendo, aut jacendo, comedendo vel laborando, fcribendo aut ftudendo, finè ullo præterea capitis, vel corporis incommodo elici poffunt. Hac igitur exigua, & facili arte, qvifqve noftrum placere Deo contendat.

DOMINICA PENTECOSTES.

Evangelium. *Si quis diligit me fermonem meum fervabit. Joan.* 14.

Punct. I. COnfidera ita Deum Patrem dilexiffe Mundum, ut in ejus Redemptionem, Filium fuum Unigenitum daret. Idem Dei Filius tefte Apoftolo, Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, tradidit femetipfum pro nobis in mortem. Hodie tandem ex infinita fua Bonitate, defcendit in homines Spiritus S. ut eofdem feptiformi dono gratiarum fuarum cumularet. Obftupefce igitur, & fupplex adora, tam effufam totius Sanctiffimæ Trinitatis erga genus humanum largitatem. *Punct. II.* Confidera quod Spiritus Sanctus infundat nobis primo *Donum Sapientiæ*, quod juxta S. Bonaventuram dicitur: Habitus fupernaturalis animæ, à Spiritu S. infufus ad Deum cognofcendum, & faporosè diligendum. Sapientia enim fonat: quafi faporofa Scientia. Qui ergo Deum tantum fimpliciter, aut fpeculativè, ut cæteri Gentiles cognofceres, Ecce gratia Spiritus Sancti per

fuam

suam infusam Sapientiam facit te eundem cognitum, saporosè diligere. *Punct. III.* S. Jacobus docet, Donum Sapientiæ Spiritus S. differre à Sapientia Mundana, quod hæc sit superba, *Illa verò quæ de sursum est, pudica est, pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & bonis fructibus, non judicans, & sinè simulatione.* Ecce cum Cœlesti *Dono Sapientiæ*, qvanta bona conseqvaris? si illud à Spiritu Sancto obtinere merearis. Epist.3.

FEria. 2. Punct. I. Considera secundum ex Donis Spiritus S. esse *Intellectum* qui ex S. Thoma dicitur: Habitus seu lumen supernaturale, & superadditum intellectui hominis, dicens quandam excellentiam cognitionis, penetrantis usqve ad intimas rerum essentias, & veritates, quæ non sit ita completè ex virtute luminis naturalis. Ecce quam necessarium sit ejusmodi lumen intellectui humano, ut ex cognitione rerum Mundanarum, surgat ad cognitionem Arcanorum Divinorum, quæ non novit. *Punct. II.* Sacrum hoc *Donum Intellectus.* dispellit tenebras mentis nostræ, ut concreatam nobis imaginem Sanctissimæ Trinitatis agnoscamus, & nosmetIpsos quid simus cognoscamus, quæ ita nobis est necessaria, quod affirmet S. Augustinus dicens: *Sinè cognitione sui, neminem existimo posse salvari.* Ecce hoc nobis præstat, Donum Spiritus Sancti *Intellectus.* *Punct. III.* S. Richardus de *Dono Intellectus* dicit: Hoc exercitio cordis oeculus mundatur, ingenium accuitur, intelligentia naturalis dilatatur. Nam hujus beneficio cogno-

cognoscit, quid de Spiritu Divino, quid de interioribus, quid de anima sentire debeat, qui prius semetipsum non cognovit. O! quam locuples Donum istud, cujus beneficio in cognitione sui & Divinorum reddimur tam divites.

FEria. 3. *Punct. I.* Considera tertium Donum Spiritus S. esse: *Scientiam.* de qua ita discurrit S. Augustinus: *Scientia* quæ est donum Spiritus S. non est de rebus vanis & curiosis, sed de his, quibus fides saluberrima, quæ ad veram Beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur & roboratur. Per hoc igitur donum, tanqvam lumen supernaturale, & principium fidei format homo judicium rectum de Creaturis, non esse in ipsis verum bonum, sed in solo Deo. *Punct. II.* Hoc donum dicitur: *Scientia Sanctorum* juxta illud Prophetæ: *Dedit illi Scientiam Sanctorum.* Nam per hanc infunditur homini habitus, per quem habet certum judicium, circa credenda, & agenda, ut omnia quæ cogitat, agit, & desiderat, sint bona, Sancta, & salutaria. Scientia enim Mundana è contra, ut ajt Bernardus: Inebriat non charitate, sed curiositate, non nutrit, sed inflat, sonat, sed non ædificat. Qui ergo videris tibi Scientificus, vide & considera, quæ nam ex istis inveniatur in te Scientia? *Punct. III.* Beneficiô hujus Doni Spiritus Sancti, rudis Pastor, S. Noster Paschalis, plures doctos conscripsit libros; Ignara literarum Theresia & Maria de Agreda, admirabiles Cælestis doctrinæ, conscripserunt Tractatus, Hac Cælesti Scientia illustrati, plurimi rudes Viri ac Mulieres,

Sapien: 10.

lieres; de subtilissimis Fidei, ac Theologiæ arcanis, multa doctè scripserunt, ac prædicarunt. Implora igitur gratiam Spiritus Sancti, ut & tu hoc dono Scientiæ Sanctorum tam pro tui ipsius, quàm Proximorum juvamine salutari illustreris.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera qvartum *Donum* Spiritus Sancti esse: *Consilij.* quod S. Bonaventura dicit, habitum esse à Deo infusum, per quem secundum Spiritus Sancti dictamen movemur ad operationes bonas ac Sanctas, prudenter, & juxta voluntatem Dei eligendas. Cùm enim præsens vita nostra, undique sit dolo, ac insidijs inimicorum obarmata, ubi etiam sæpè *ipse Sathanas* ad decipiendum nos, *transfigurat se in Angelum lucis.* ideoque ad 2. Corin: 11. omnia ista præcavenda, & dignoscenda, hoc dono Spiritus Sancti *Consilij* roboramur, dirigimur ac instruimur, sive per internas illustrationes, sive per Virorum Prudentum doctrinas. Ora igitur gratiam Spiritus S. ut te hoc Cælesti dono, in tantis hujus vitæ perplexitatibus, nè erres, salutariter dirigat.

Punct. II. Idem Doctor noster Seraphicus dicit: Quod agere juxta *Consilium* Spiritus Sancti, est, ut qvilibet Voluntatem suam in omnibus Voluntati Divinæ conformet, & non aliter, nisi secundum illam omnes intentiones, & actus suos perficiat: Dum igitur Mundus Caro & Dæmon, plurima blandè dictant & svadent, postquam tamen non esse conformia Voluntati Divinæ adverteris, hoc ipso tales instinctus non esse *Consilium* Spiritus Sancti,

sed

ſed ſuggeſtiones inimici, in tui perditionem dijudicare poteris: qvas ſpernendo dic in ſpi-
Pſal: 1 ritu: *Conſilium meum non eſt cum impijs. Pun-
ctum III.* Spiritus Sanctus dono *Conſilij*, ſicut ad profectum animæ noſtræ, ſvadet omnia ſalutaria, ita etiam per Doctores, Prædicatores, Confeſſarios, ac varij ſtatûs conſiliarios inſpirat, libris, concionibus, Confeſſionibus, in publicis ac privatis conferentijs, varia media, conſilia, & incitamenta, ad amplectendas Virtutes, ad hæroicè vincendas paſſiones, ad cavenda peccata, per quæ plurimi evaſerunt Sancti. Exora igitur & tu gratiam Spiritus Sancti pro hocce dono Conſilij, per quod tam propriæ quàm Proximorum ſaluti conſulere ſalubriter poſſis.

FEria. 5. Punct. I. Conſidera qvintum donum Spiritus Sancti eſſe *Pietatis*. de quo dicit Hugo Cardinalis, quod ſit Divini cultus religioſa devotio, ac affectio infuſa, benigna mentis dulcedine, ad gratum omnibus auxilium. Et hæc *Pietas*, teſte S. Ambroſio: Deum conciliat, Parentes amat, neceſſarios fovet, bonis congaudet, miſeris compatitur, omnes ſincerè propter Deum reveretur. Exora ferventer, ut hic Spiritus Pietatis & in te habitet, per quem Deo gratus, ac Proximis tuis utilis eſſe valeas. *Punct. II.* Conſidera *pium* hominem, & qvantam in illo obſervabis mentis tranqvillitatem, gaudium conſcientiæ, integritatem famæ, adjutorium in tentationibus, ſolamen in adverſis, jucunditatem in vita, lætitiam in morte à Deo denique gratiam, & ab hominibus habentem venerationem. Ecce hæc

omnia

omnia in Servis Dei efficit Spiritus *Pietatis*, quem si tibi propitium habere merueris, eadem dona in hac plena miserijs vita gratiosè consequeris. *Punct. III.* Apostolo teste: *Pietas ad omnia utilis.* Si quidem hæc Deum placat, fidem per opera justitiæ, & charitatis commendat, Proximis in necessitate succurrit, & in defectibus compatitur Per hanc denique homo novit abundare, & penuriam pati, honorem ac contemptum, voluptatem & dolorem pari vultu excipit, mirabili denique svavitate & gaudio in prosperis, & adversis adimpletur, ac contentatur. Veni igitur Sancte Spiritus in corda nostra, & hæc *Pietatis dona* propitius in nobis custodi. 1. Timoti 4.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera sextum Spiritus Sancti donum esse: *Fortitudinis.* quod dicitur esse Virtus in habitu voluntatis, inqvantum versatur circa ardua & difficilia, seqvendo motivam Spiritus Sancti inspirationem. Qua suffulti Apostoli, qui prius erant pavidi, & pusillanimes, postmodum ibant gaudentes à conspectu Concilij Regum, Principum, & Judicum, dum ipsis contingebat pro nomine JESU contumeliam, & mortem ipsam pati. Ecce qvanta sit Virtus doni Spiritus Sancti *Fortitudinis.* Ora ut & tuam roboret in adversis infirmitatem. *Punct. II.* Inspice Laurentium in crate ignita assatum, gloriosè tamen insultantem Tyranno. Considera tenellam Puellulam Agnetem, inter stridentes Carnificum mucrones, libentius ad mortem, quàm ad nuptias properantem. Mente revolve tot, ac tantas alio-

rum

rum Sanctorum, ac Sanctarum carnificinas, in quibus, tanqvam in epulis, aut florido jubilarunt viridario? Ecce tota hæc virtus ex dono *Fortitudinis*, quô animos, & corda eorum roboravit gratia Spiritus S. Jam verò nos confundamur videntes, quàm longè distet à nobis hic favor Cælestis, qui nihil adversi, amore Dei tollerare volumus, ad quodvis verbum læsivum ulciscentes & furibundi, in exigentijs murmurantes, in infirmitatibus impatientes sumus. Exoremus itaque gratiam Spiritus S. ut nos ad toleranda patienter adversa, dono *Fortitudinis* roborare dignetur. *Punct. III.* Declarante ipsius Christi oraculo. *Regnum*

Math.11 *Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Postquam enim vanitatibus sæculi renunciassemus, pervigil animarum nostrarum insidiator, movet bella, & omnes nocendi artes, circuit rugiens tanqvam famelicus Leo, ad invadendam prædam, ut aut devoret, aut à constantia in profectu virtutis deterreat. Cui quis resistet, nisi Cælesti dono *Fortitudinis* confortetur? quis tanta salutis æternæ perfringere sufficiet obstacula, nisi hac virtute superna roboretur? quis non concidat animo, nisi hoc dono ad præliandum strenuè adjuvetur. Imploremus igitur gratiam Spiritus Sancti, ut infirma nostri corporis, virtute firmet perpeti.

Sabbatho. Punct. I. Considera septimum donum Spiritus Sancti esse: *Timorem Domini*, quô scilicet timemus offendere Deum. Et hic tam est Servis Dei necessarius, quod Propheta absó-

Eccli 1. lute declaret: *Qui sine timore est, non poterit justifi-*

ſtificari. Cui conſonat S. Bernardus dicens: In veritate didici, nihil eſſe tam efficax ad gratiam promerendam, retinendam & recuperandam, quam ſi omni tempore coram Deo inveniaris, non altum ſapere, ſed timere. Timete igitur Dominum omnes Servi ejus, ut à peccando detereamini, & in juſtitia ac Sanctitate conſervemini. *Punct. II.* Poſtqvam Eccleſiaſtes plurima ſalutis monita deprædicaſſet, omnem ſuam doctrinam, hac brevi concluſit Summa: *Deum time, & mandata ejus cuſtodi, hoc eſt enim omnis homo*. id eſt ſicuti homo ad hoc creatus eſt, ut Deum timendo, ac Mandata ejus obſervando ſalvus fiat, ita felicitas finis beati hominum in hoc conſiſtit, ut per timorem Dei, & mandatorum ejus obſervantiam ſalvi fiant. *Hoc eſt enim omnis homo*, id eſt omnis perfectio ac finis hominis. Ut igitur fini noſtro ad quem conditi ſumus correſpondeamus, in timore Domini, & Mandatorum ejus vigili cura animas noſtras cuſtodiamus. *Punct. III.* Chriſtus Dominus Servæ ſuæ Brigittæ tale dedit monitum: Time, nè fortè propter præſumptionem cadas, omnis enim qui ſtat, ſolius Dei virtute ſtat, ideo Timor, eſt quoddam introductorium in Cælum, nam multi ideo lapſi ſunt, in præcipitium, quia timorem Divinum abjecerunt. In timore igitur & tremore Fratres ſalutem veſtram operemini, nè qui ſtatis in gratia infelici lapſu excidatis.

Eccleſ: 12.

IN

§§§§
§§

IN FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

Evangelium. *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in terra. Math. 28.*

Punct. I. COnsidera magni hodierni festi Sanctissimæ Trinitatis, maximum mysterium, quod nimirùm ille magnus & terribilis Deus sit Unùs & in Personis trinus, quævis Persona Deus, non tamen tres
S. Augus. Dij, sed unus est Deus. Ubique secretus, & tamen ubique publicus: quem non licet ut est cognoscere, & tamen nemo permittitur ignorare. Undè quominus ipsum comprehendimus, eò magis in eundem, quia infinitum credere obligamur. Credamus igitur in eum firmiter, & quod comprehendere non valemus, adoremus humiliter. *Punct. II.* Qvamvis Unus Deus, & tamen trifarie dicitur in Scri-
Exod. 3. ptura *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob.* Sicut autem dici voluit *Deus Abraham*, quia per hunc Patriarcham commendatur *fides*, qui credidit & reputatum est ei ad justitiam. Dicitur *Deus Isaac*, qûia per hujus generationem, eluxit *spes*, repromissionis. Dicitur *Deus Jacob.* quia inshoc commendatur *charitas*, per dilectionem Rachelis: Ita cùm naturam Unius in Trinitate Dei Theologica subtilitate comprehendere non valemus, necesse est, ut eundem Theologicis Virtutibus, *Fide Spe*

Chari-

Charitate, suppliciter veneremur. *Punct. III.* Sanctus noster Patriarcha Franciscus, cum maximo cordis jubilo, & fervore spiritus, frequentissimè repetere solebat Versum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* illumque omnibus commendabat. Unde cum quidam Laicus tentaretur, ut literis operam daret, dixit ei Sanctus: Addisce Frater Versum: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, sicque omnem scies Scripturam: fecit & tentationem vicit. Similiter & nos, qui imbecillitate intellectus Sanctissimæ Trinitatis capere non valemus mysterij profunditatem, discamus saltem hoc Franciscano trisagio, suppliciter ejus adorare Majestatem.

DOMINICA I. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Luc. 6.* Eadem Dominica quia est festum SS. Trinitatis. Meditatio legitur, ut supra.

FEria verò 2. *Punct. I.* Considera, quod sicut juxta Apostolum: *In multis offendimus omnes:* siquidem etiam justus septies de die cadit. Ita læsæ Divinæ Majestati, continuò reddimur culpabiles: ut ergo ejus placare possimus misericordiam, inter omnia media, assecurante Christo, hoc unum efficacissimum: *Dimittite &*

dimit-

dimittetur vobis. Ignosce inimico illatam tibi injuriam, & ipse â Deo indubitanter obtinebis peccatorum tuorum veniam. *Punct. II.* Divini Oris sui Oraculo appromisit Christus: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater Cælestis peccata vestra.* Ergo ille solus impunè poterit se vindicare de inimico, qui non habet quod sibi Deus ignoscat. Nec in Oratione Dominica dicimus: *Dimitte nobis debita nostra:* quia nos mortificamus, strictè jejunamus, prolixè Oramus, sed: *Dimittimus debitoribus nostris.* Nè itaque tam salutari medio fraudes animam tuam. *Punct. III.* Remissio injuriarum Inimicis, non solùm nos Deo reconciliat, sed etiam peculiari modo, in Filios ejus adoptat, dicente Christo: *Benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis Filij Patris vestri, qui in Cælis est.* Cùm ergo non nisi per portam Misericordiæ in Cælum intrare possimus; Scito, quod hanc tibi certò occludas, dum Proximo tuo veniam negas.

Math. 5.

FEria. 3. *Punct I.* Considera Christum Salvatorem dixisse: *Date & dabitur vobis.* quò suo Divino docemur effato, Eleemosynam tanti esse apud Deum meriti, quod Propheta affirmare non dubitaverit: *Eleemosyna liberat à peccato, & facit invenire misericordiam.* Commoveantur igitur etiam tua erga Proximum viscera misericordiæ, ut & ipse apud Deum misericordiam consequi merearis. *Punct. II.* Nè fortè pauper Religiose, putes te unum, tam salutari privatum occasione, quod nihil possidens, nullo etiam pauperi sucurrere valeas

Tobiæ 4.

bene-

beneficio? Sed audi S. Thomam a Villa nova dicentem: Si judicatur eleemosyna, subvenire corpori perituro, qvanto potius Spiritui nè pereat, in æternum victuro, corripe Fratrem obsecra, consule, doce ut à peccatis resurgat, & optimam coram Deo eleemosynam tribuisti. Disce igitur hanc Sanctam in tam fructuoso opere industriam. *Punct. III.* Maximi est fructus Eleemosynæ: Orare pro Conversione peccatorum, pro perseverantia in bono perfectorum, pro liberatione Animarum Purgatorij, dicente S. Bernardino: Quoties facis aliquod bonum, pro Anima existente in Purgatorio, tibi magis prodes, & plus mereris, quam si faceres decies tantundem, pro uno existente in hoc Mundo, tametsi esset incarceratus, infirmus, nudus, & famelicus. Ecce pauper Religiose, in hoc solo dives, quia pijs tuis precibus mortificationibus, & signanter applicatione Indulgentiarum, quotidie Animabus Purgatorij largissimas errogare poteris eleemosynas, & perinde maximam tibi apud Deum cumulare mercedem. Cave igitur nè tantum negligas fructum.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, qualiter Christus Dominus Pharisæos arguat, quod *trabem in oculis suis non videntes, minimam festucam in oculis alienis observent.* Hic enim error est Conscientiæ erroneæ, quod nobis metipsis blandientes, non tantum quod in Conscientijs nostris latet perniciosum, emendare non curamus, qvinimò pessime agentes, justi videri contendimus, dummodò quod alij faciunt im-

probemus. Dum ergo ad te non pertinet, nè sis vitæ alienæ censor, sed per salutem animæ tuæ monet Augustinus: sis propriæ Conscientiæ diligentissimus inspector. *Punct. II.* Ignorans Præcepta, quæ scire quilibet, ex suo respective Officio, Voto, aut Charactere tenetur, si contra illa peccet, sinè dubio, etiamsi ea non advertat, perditionem certò animæ incurrit. Qui habet alicujus vitij cor passione infectum, non considerat, quod malè agat, & tamen in continuo manet peccato, nam freqventat suspecta, imô mala re ipsa consortia, & Civilitate excusat; fovet culpabilem erga alterum iram, & zelum æstimat. Superbia inflatur, & honestatem dicit. Contra Minoriticam Paupertatem graviter peccat, & necessitatem fingit. Ecce quam perniciosus propriæ Conscientiæ, quem sæpè non advertimus error, quem cognoscere & emendare cura. *Punctum. III* De Crucifixoribus Christi dicit Apostolus: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ*
1. Co- *crucifixissent.* & tamen hæc ipsorum ignoran-
rin: 2. tia fuit culpabilis, ac pernitiosa, quia in Christum odio & passione excæcati, an verè in Lege promissus fuerit Messias, inquirere neglexerunt. Ita quod & nobis maximè horrendum est, qvisque suam diligenter examinet Conscientiam, nê agere se benè existimans, re ipsa malè agat, & cum tali erronea Conscientia æternum pereat.



IN FE-

IN FESTO SS. CORPORIS CHRISTI.

Evangelium. *Caro mea verè est cibus, & Sangvis meus verè. Joan.* 6.

Punct. I. COnſiderantes ſtupendum in Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutione prodigium, meritò cum Propheta exclamare cogimur: *Non fecit taliter omni nationi!* vel potius ut legit Vatablus: *nulli nationi.* Psal. 147 Minus quippe eſt, quod populum Iſraeliticum qvadraginta annis Cæleſti Manna, aluerit in deſerto, ſed quod ipſe factus Sacerdos & Victima, Offerens & Oblatio, Carnem ſuam & Sangvinem, uſque ad conſummationem ſæculi, in ſpirituale nobis reliquerit Convivium, miraculum miraculorum maximum. *Punct. II.* Minus cenſendum illud prodigium, quod infinitæ Virtutis, & Omnipotens Deus, verbo oris ſui *Fiat*, totius Univerſi, cum ſuis Creaturis, condiderit Machinam, Geneſ. ſed magis obſtupeſcenda ejus infinitæ Bonitatis ordinatio, quod ad cujusvis, etiam miſerrimi, ac ſceleratiſſimi Sacerdotis, pauca Conſecrationis verba, ſupra materiam panis & Vini debitè prolata, quovis tempore, & loco, verus ac vivus Deus & Homo Chriſtus JESUS eſſe incipiat, & ſub ijſdem ſpeciebus Carnem & Sangvinem ſuum det nobis ad manducandum? *Punct. III.* Conſidera ſtupendum Divinæ potentiæ fuiſſe opus, dum Verbum Patris æterni, humanam

assumens naturam & carnem, Deus Homo factus est, sed majus prodigium, quod miser homo, eundem Christum Sacramentaliter manducans, Deiformis, & Filius Dei adoptivus efficiatur.

FEria. 6. Punct. I. Considera Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, erga genus humanum esse *Amoris Dei prodigium.* Communiter enim Medici, ægroto medicinam afferentes, ad hoc suam impendunt operam, ut Medicinam depulsioni infirmitatis accomodatissimam adinveniant & applicent, sed nemo eorum facit se ipsum medicinam. Ecce solus Christus Salvator, postquam innumeras pro salute animarum nostrarum impendisset curas, in hoc tandem Sacramento, factus est nobis Medicus simul & Medicina. *Punct. II.* Considera tres communiter numerari conditiones *perfecti Amoris*, Donare multum, Recipere parum, & nihil reposcere. Ecce in hoc Augustissimo Sacramento, Christus se ipsum nobis donando, confert donum infiniti valoris. Recipiens verò omnia nostra, valdè parum recipit. Quæ verò à nobis exigit, non ad suum commodum, sed ad nostram duntaxat utilitatem exposcit. O! amor! qvantò amore compensandus? *Punct. III.* Hoc Sacramentum appellat Ecclesia, *Sacrum Convivium.* Nam ut dicit S. Bernardus: Est Sanctum Sanctorum Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo dulcedinum, hic bibuntur in loco Uberi, torrentes lactis, & liquores balsami Cælestis. Non igitur te excuses, non subtrahas ab

Cæle-

hoc Cælesti alimento, ut eodem saturatus, vivas in æternum: ipso enim Christo testante. *Qui* Joan 6.
manducat hunc panem, vivet in æternum.

Sabbatho Punct. I. Considera quod Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, sit: *Incarnationis, & Passionis Christi extensio.* Incarnationis qvidem, nam semel tantum Verbum Divinum, humanam naturam ex Utero Virginali, in Unitatem Personæ suæ assumpsit: per Sacramentum verô Eucharistiæ, toties, qnoties ipsum suscipiunt homines cuilibet ipsorum, communicando Corpus & Sangvinem suum, quodammodo incarnatur. Perpende igitur miser homuncio, ad qvantam per hoc Sacramentum sublimeris dignitatem? *Punct. II.* Christus pro redimendo genere humano, Jerosolymis semel crudelissimam subijt mortem, & horribilia passus est tormenta. In hoc vero Altaris Sacramento, considera, qvanta continuò sustineat opprobria, contemptus ac profanationes, à Judæis, Hæreticis, Sagis, & perversis Christianis, de quibus meritò cum Apostolo dici potest, quod sint: *Rursus Christum Crucifigentes.* Hebr: 6.
Punct III. Christus Dominus, quamvis gloria & honore coronatus sedeat in Cælis ad dexteram Patris, perpende tamen, & admireris, quanta in Sanctissimo Sacramento patiatur in terris. Ecce humiliatur, dum in exigua hostia, immensa ejus Majestas coarctatur. Exhibet se Obedientem, dum ad vocem Sacerdotis, exhibet se in hostia præsentem. Quam patiens, & mansvetus, dum à perversis peccatoribus sacrilegè summitur. Quanta ejus

Charitas & Misericordia? dum nos tam freqventer visitat, solatur, manere nobiscum non dedignatur, etiam in Ecclesijs pauperrimis, ac desolatis. Cave igitur, nè tu saltem O! Anima Religiosa, indignè manducando, crudelem ipsius renoves Passionem, & fias denuò *reus Corporis, & Sangvinis Domini.* 1. Cor. 11.

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Evangelium. *Homo quidam fecit Cœnam magnam. Luc. 14.*

Punct. I. CONsidera in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, effusam Dei erga nos *Liberalitatem*; licet enim malitiosi peccatores, justum Divinæ vindictæ mereamur supplicium, cum hoc tamen Cælesti dono, confert nobis Christus, omnium gratiarum beneficium; in tantum quod excessu admirationis raptus S. Augustinus exclamet: Dicere audeo, Deus cum sit Omnipotens, plus dare non potuit, cum sit Sapientissimus, plus dare nescivit, cum sit ditissimus, plus dare non habuit. Vide igitur quam sis gratus, pro tanto Liberalitatis dono? *Punct. II.* Stupenda profusæ liberalitatis gratia? dum idem Christi Corpus, quod Beatissima Virgo genuit, dulciter lactavit, totaque sua Sanctissima Vita complexa fuit nobis etiam in hoc Sacramento detur, & toties, qvoties voluerimus, in corde nostro reclinetur. Dum verò infirmi ad ipsum

intra

intra Ecclesiam accedere non valemus, ipsemet manibus Sacerdotis delatus, ad nostras domus luteas, tuguriola misera, locaque Carcerum, & contemptibilia condescendere dignatur. Cura igitur, ut dum hoc modo transeunti occurris, magnam Dei tui *liberalitatem*, quam maxima adoratione reverearis. *Punct. III* Considera magnum *Liberalitatis* excessum in illo, qui rem aliquam caro emit pretio, hanc tamen alteri gratis donat. Hoc Christus facit nobiscum, qui crudelissimam subeundo Passionem, caro sibi comparavit Corpus humanum & animam, quæ non habuit in Divinis, hoc tamen nobis in Sacramento liberaliter, & gratis summendum largitur. Quid ergo retribues Domino, pro omnibus, quæ tribuit tibi? nisi devotissimè Calicem ejus accipias, & temet ipsum eidem in perenne Sacrificium laudis offeras.

FEria. 2. *Punct. I.* Considera quam arctum sit hominis cum Deo vinculum in hoc Sanctissimo Altaris Sacramento: non enim est hic unio purè intellectualis, quâ unitur intellectus, cum re à se cognita: non solius voluntatis, qualem parit amor, mutuò se amantium: non unio duntaxat per fidem, cùm hæc illam præcedere debeat: sed omnium istarum unionum aliquid complectens, habet præterea, infinito modo quid amplius: nam sicut dixit Christus, *Ego in Patre, & Pater in me est.* Ita manducando Corpus Christi quodammodo Divinizamur, quod Christus vivat in nobis, & nos in Christo. *Punct. II.* Dei Filius à Patre æterno accipit Joan. 10

omnes

omnes simul infinitæ, ac incomprehensibilis suæ essentiæ perfectiones, ita ut per æternam generationem, unus sit cum Patre. Ecce similiter & nos, dum Christum in Eucharistiæ Sacramento suscipimus, quodammodo ejus essentiæ, Virtutum, ac vitæ perfectionum, ita reddimur in tempore, participes, quod cum Apostolo dicere possimus; *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* *Punct. III.* Christus Dominus sub Speciebus Panis & Vini tradidit se nobis ad manducandum, non enim fit arctior hominis unio, quam cibi, & potus cum humano corpore, quod in ejus convertitur substantiam. Ita Christus hoc Cælesti nos nutrit alimento, ut ipse in nos, & nos in ipsum convertamur. Sicut autem duæ res uniri ad invicem non possunt, si quid impedimenti interponatur, ita memineris Anima Religiosa, quod inter te, & Christum nequeat fieri unio, si inter te, & ipsum peccata, cupiditates noxias, ac immoderatas animi affectiones interposueris.

ad Galat: 2.

FEria. 3. Punct. I. Considera, quod Sancta Ecclesia, in sua cantet Antiphona: de Sanctissimo Altaris Sacramento: *Christus summitur, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Qvia gloria, & vita æterna, illi confertur in Cælis, qui pignus ejusdem, dignè recipit in terris. Cura igitur, ut hoc Divino doneris pignore, per quod hæres Cæli esse merearis? *Punct. II.* Discedens à dilecta Sunamitide Sponsus, in pignus amoris, annulum, gemmam, vel aliquod speciale solet relinquere munus; Ita Sponsus

Eccles.

Eccle-

Ecclesiæ suæ Christus, profecturus in Regionem Cælestis Patriæ longinquam, non aliud nobis reliquit amoris pignus, quam semetipsum, sub speciebus Sacramentalibus. Scias igitur appretiare, ex tanto pignore, quanto nos Sponsus animarum nostrarum Christus prosequatur amore? *Punct. III.* Considera, cum qvanto affectu, & cordis teneritudine, veri amatores, relicta sibi pignora freqventissimè respiciunt, appretiant, & dantis affectum commemorant? Tu verò signum est, quod nimis frigidè Sponsum Animæ tuæ Christum diligas, nam ad hocce tibi relictum Sacramentale pignus, sinè ullo cordis fervore, & animi devotione accedis, sed illud magis ex consvetudine, quàm Religiosa pietate sumere præsummis.

FEria. 4. Punct. I. Considera, quamvis Manna Israeliticum in deserto, omne gustus delectamentum in se habuerit, hoc tamen non nisi soli justitiam colentes percipiebant. Sceleratis verò, ac ingratis beneficiorum Dei, nauseam potius, quam svavitatem pariebat, unde hi magis pepones, & cepas Ægypti apetivere. Ita charissimi credite, Panis iste Sacramentalis, Vita est bonis, omnique illos replet dulcedine: mors verò malis & obnoxijs peccato, quibus plus sapit carnalis oblectatio, quam hæc Angelica portio. Vide igitur, ac perpende cujus sis gustus? *Punct. II.* De Juda proditore dicit Evangelium: *Et post buccellam, introivit in eum Sattanas.* Nam ille Panis Eucharisticus, qui cæteris Apostolis factus est

Sapient. 10.

Joann. 13.

mede-

medela Salutis, huic soli esto saluberrima Medicina, ob malam ipsius dispositionem, factus fuit causa æternæ mortis, non ideo quia malum sumpsit, sed quia bonum malus, malè sumpsit. Probet igitur prius se ipsum homo, in quo nam statu propriam habeat conscientiam, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat.

1. Corin: 11.

Punct. III. In Levitico præcepit Deus: *Omnis homo, in quo est immunditia, si accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, peribit coram Domino.* Et ipse Christus dixit Servæ suæ Brigittæ: Boni suscipiunt Corpus meum, hoc quod Crucifixum est, & ascendit in Cælum, similiter & mali: sed boni ad augmentum Sanctitatis, mali verò ad majorem Judicii justitiam, quia non timent accedere indigni, ad tantam dignitatem. Per salutem igitur animæ suæ quisque attendat, nè cui Panis iste Cælestis sit in condemnationem, qui datus est nobis in æternam salvationem.

Levit 22

FEria. 5. Punct. I. Considera, quod antequam Populus Israeliticus proficisceretur ex Ægypto ad terram Promissionis, comedere prius debebant Agnum Paschalem, cum ritibus à Deo præscriptis. Quo figuratur, & nos, non aliter posse ad Cælestis patriæ felicitatem pervenire, nisi Agnum Novæ Legis Christum, cum illa præparatione, quam nobis per Ecclesiam suam constituit, sumpserimus. *Punct. II.* Israelitæ Agnum Paschalem comedere obligabantur: *cum pane azymo, & lactucis agrestibus, renibus succinctis stantes, calceati, & manibus baculos tenentes.* Quô signabatur nè in nobis summenti-

Exod: 12

Exod: 12

mentibus Eucharisticum Agnum, inveniatur fermentum neqvitiæ, & malitiæ, quinimò de præteritis, aggrestem veræ compunctionis, & firmum de non peccando amplius, habeamus propositum: lumbos opportet nos habere lorica justitiæ, & castitatis præcinctos, ac procul ab affectione creaturarum, & servitio passionum alienatos. Cura igitur, ut tali præparatione Agnum tollentem peccata Mundi sumas, & securus ad terram Promissæ Cælestis Patriæ pervenias. *Punct. III.* Considera mortuum Corpus Elisæi Prophetæ, solo attactu, 4. Reg. alterum hominem defunctum ad vitam revo- 13. casse. Mulier Evangelica solo contactu ve- Marc. 5. stis Christi à fluxu Sangvinis fuit liberata. Si igitur dignè ad hoc præcellentissimum accesseris Sacramentum, quantò magis, non solùm salutem Animæ, sed etiam sanitatem corporis, omniumque tuarum necessitatum solamen, ac levamen obtinebis.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera Sanctissimum Altaris Sacramentum esse singulare in tribulationibus præsentis Vitæ solatium. Vita etenim nostra sicuti est plurimis perplexa anxietatibus, & adversitatibus, ita speciale pro tunc sentit levamen, dum à bono Amico consolari, & adjuvari possit. Ecce invitat in Sacramento Christus: *Venite ad me omnes, qui la-* Math. 11 *boratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Accurre igitur fiducialiter ad Dominum, & Deum tuum, & in omnibus anxietatibus tuis abundè consolaberis. *Punct. II.* Elias Prophe- 3. Reg: ta, cùm ab impia Iezabelle, ad mortem quæ- 19.
reretur,

reretur in desertum profugiens, magnis torquebatur angustijs, sed ab Angelo pane subcinericio refectus, firmum robur, ad ulteriorem viam perficiendam, & ampliores sustinendas persecutiones recepit. Ita & in nostris anxietatibus, recurramus ad hunc Panem Cælestem, ut eodem confortati, contra omnes adversitates, præsentis vitæ singulare sentiamus præsidium. *Punct. III.* Confirmat nos in asserto proposito S. Salesius dicens: Per experientiam viginti trium annorum quos in servitium animarum impendi, manibus quasi palpare potui, quam potens sit Virtus hujus Divini Sacramenti, ad confirmandas animas in bono, & liberandas à malo, easque spiritualiter consolandas, & ut uno verbo dicam, in hoc Mundo Deificandas; dummodo viva fide, convenientique puritate, ac devotione frequentetur. Scias ergo o! homo, ubi fontem omnis solatij, & Salutis invenire poteris.

Sabbatho. Punct. I. Considera quod Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sit ad ultimum salutare Morientium *Viaticum.* Sicut enim providus Viator, longinqvum instituere volens iter, nè deficiat in via, dè necessario sibi providet alimento: ita hoc Sacramentum vocatur ab Ecclesia, Morientium *Viaticum*: ut scilicet non aliter, nisi hoc Cælesti pane provisi, iter æternitatis aggrediamur. Ora ferventer nunc, ut te pro tunc, dum anima digressura est à corpore tuo, hoc salutari alimento, benignissimus Redemptor reficere dignetur. *Punct. II.* Elias ab Angelo subcinericio

ricio pane refectus, qui præ fame deficiebat, 1. Reg. 19.
solidè roboratus, qvadraginta diebus, & nocti-
bus profectus est usque ad Montem Dei Oreb,
ibidemque, qvantum homini fas est, Deum vi-
dere meruit. Ecce iste est panis, quem dedit
nobis Dominus ad vescendum, in Sanctissimo
Altaris Sacramento, ut eodem refecti non so-
lum per lubricos præsentis Vitæ calles, sed
etiam per arduas extremæ mortalitatis Scil-
las, & Charybdes, securè transire possimus.
Punct. III. S. Ambrosius perpendens, qvaliter
Deus Populum Israeliticum qvadraginta annis
sustentaverit in deserto, Manna depluente de
Cælo ajt: Dominici Corporis figura præcessit,
quando Dominus in deserto Patribus Manna
pluit, quia sicut ille Panis Populum per deser-
tum, ad terram Promissionis duxit, ita hæc
esca Cælestis, fideles hujus sæculi, desertum Exod. 16.
transeuntes in Cælum subvehit, undè rectè *Via-
ticum* appellatur, quia in via reficiens, in Pa-
triam usque perducit. Ora igitur continuò Do-
minum, pro obtinenda gratia finali, ut te in
longinqvum æternitatis iter migrantem, hoc
Cælesti Pane misericorditer reficere dignetur.

DOMINICA III. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Erant appropinqvantes ad JESUM Publicani. Lucæ.* 15.

Punct. I. CONsidera in hodierno Evangelio,
observasse Pharisæos, & Princi-
pes

pes Sacerdotum, quod Publicani ad JESUM accesserant, Superiorum enim hæc est conscientiosa obligatio, ut suorum Subditorum omnes gressus, dicta, ac facta diligenter observent, utpote Severo Judici strictam de omnibus rationem reddituri. *Superior enim, ut dicit* Bonifacius Moguntinus: *etsi Sanctè vivat, & tamen perditè viventes non arguat, cum ijs, qui eò tacente perierint, condemnabitur: & quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est, alieno peccato?* O! qvantum salutis, in Officio Superiorali periculum! *Punct. II.* Superioris Officium, est Vicaria Dei in terris potestas, est Vox oris Divini, est digitus beneplacitum Voluntatis Divinæ indicans. De his ipse Deus
Luc: 10 dixit: *Qui vos spernit, me spernit, qui vos audit*
Zach: 2 *me audit: qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit.* Qui ergo propter Deum factus es Subditus, Monente Bernardo: Superiorem tuum honora, ut Patrem, & mandata ejus, tanquam Dei præcepta, corde, & animo promptissimo exequere: ut Vicariam Dei in terris potestatem reverearis: ut Voci Oris Divini obedias: & digiti beneplacitum Voluntatis Divinæ indicantis nutum expleas. *Punct. III.* Superiorale Officium, est privati animi martyrium, propriæ enim commoditatis oblitus, non quod sibi placet, sed quod alijs utile & commodum, quærere obligatur, toties suam debet mutare naturam, quoties corrigendæ passionis in subdito assumpserit curam. Domi dispensans, sive extra laboriosè qværens panem, ipsemet sæpè, reprehensionis, aut ingratitudinis, du-

rum concoqvere debet lapidem. Nulli ergo Officium Superiorale invideas, sed potius videas qvaliter eidem charitativè compatiaris, similes fortè & tu aliqvando eodem Officio à Subditis, vices recepturus.

FEria 2. *Punct.* I. De Christo Domino palam loquebantur Pharisæi: *Hic peccatores recipit.* Luc: 15. Nam benignissimus Salvator, viscera misericordiæ suæ omnibus pandens dicebat: *Non veni* Math: 9. *vocare justos, sed peccatores.* Undè quam plurimi accurrebant ad eum, gratiam salutis, & sanitatis, tam animæ, quam corporis impetraturi. Quorum exemplo, & nos Salutis negotium non differamus, sed proximam quamque occasionem, feriæ ad Deum conversionis arripiamus, nè fortê serò spacium pænitentiæ quæsituri, invenire non valeamus. *Punct. II.* Considera, qualiter Nautæ, habentes oneratas mercibus Naves, prosperum in littore expectent Ventum, quo afflante, qvantocius vela pandunt, & navigio se committunt, ut sic trajecto Mari, portum suæ Patriæ attingant. Ecce hic Mundus, *Mare magnum & Spatiosum est,* Psal. 103 per quod ad portum æternæ felicitatis transfretare debemus; signum itaque tuæ desidiæ est, quod illuc attingere non cures, qui favonium spirantis dum & ubi vult Spiritûs, procrastines, & negligas. *Punct. III.* Christus peccatoribus Viscera misericordiæ suæ pandens, quamvis pœnitentibus veniam promiserit, quia tamen pœnitentiæ tempus non promisit; ideoque si adusque malè egisti, hodie bene vivere incipias, Deus enim non vult dilatio-

lationem pænitentiæ in voce Corvina, *cras cras*, sed reqvirit Confessionem, Contritionem & firmum emendationis propositum, in gemitu Columbino *hodie*, Cessa ergo hodie, quod adusque malè fecisti, nec differas in crastinum quod te hodie oportet facere, cum omne tempus Pater Cælestis, non in tua, sed in sua posuerit potestate.

FEria. 3. *Punct.* I. Considera qualiter Evangelica Mulier, perditam quæsitura drachmam, *Accendit lucernam.* Sed nobis è contra sæpius accidit, quod occasione Lucernæ oculorum nostrorum, pretiosam innocentis conscientiæ perdamus drachmam: nam sicut omne *bonum*, rapit hominis voluntatem, *Verum*, captivat in assensum Intellectum: ita *pulchrum*, rapit amorem & affectum. Averte itaque oculos tuos, nè videant vanitatem, si hanc perditionis tuæ evadere velis capturam. *Punct.* II. Nisi Eva pomum visu pulchrum aspexisset, certò illud non appetivisset: Si David Bersabeam, Amon Thamar, Holofernes speciosam Judith, fixo aspectu intuiti non fuissent, nequaquam in flammas libidinis exarsissent. Nam sicut per vitrum ustivum facilius stupa, radio solis accenditur, ita venustas objecti, transiens per oculos, igne concupiscentiæ facillimè cor adurit. Ex quo tandem lamentari cogeris cum Propheta: *Oculus meus, deprædatus est animam meam.* *Punct.* III. Noster refert Wadingus: quod Ducissa Blanca, sub tempus Capituli Generalis, cum majestuoso Pedissequarum comitatu, omnes in Reffectorio circuierit Mensas,

Luc: 15.

Genes: 3. 2. Reg. 11. 2. Reg: 13. Judith. 11.

Thren: 3. Tom: 13.

fas,

sas, quolibet Religioso assurgente, & se eidem modestè inclinante, nec unus tamen inventus, qui oculos in ejus, sive seqvacium faciem injecisset. Ad introductionem Patrum nostrorum cum Sancto Joanne Capistrano Cracoviam, Rex, Regnique Proceres, ac universus populus, tantam in eis admirabatur modestiam, quod non homines, sed Angelos advenisse in Regnum arbitrabantur. Immitemur ergo in custodia oculorum, Sanctos nostros prædecessores, ut simul puritate cordis, & integritate Sanctimoniæ, digni eorum fieri mereamur Successores. Chron

FEria. 4. *Punct. I.* Considera Mulierem Evangelicam: *Evertisse Domum*, ut perditam inveniret drachmam: Cujus exemplo discamus, quod sicuti juxta Christi assertum: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* ita quid quid impedimenti in hoc assequendo tibi ocurrat, cuncta virili fortitudine disperdas, dissipes, evertas, & tibimetipsi vim facias, dummodo illam æternam asseqvaris hæreditatem. Confundaris tamen, quod tu è contra petis quidem ut *Adveniat Regnum tuum.* sed cum *Pane quotidiano*: ut nullam pro eodem assequendo resolutus sis, taceo, vim tibi inferre, sed neque exiguam molestiam patienter sufferre? Luc: 15. Math: 11 Math: 6

Punct. II. Considera quod sicuti natura humana, in statu naturæ lapsæ ex sua innata propensione, inclinetur ad voluptates carnis, ad auditus, visus, gustus curiosos, ad amorem proprium, laxitates passionum, & cætera hujusmodi: ita necesse est, ut amore Dei, & salutis

prætio, inordinatas ejusmodi cupiditates vincamus, & nè nobis dominentur, vim nobismetipsis inferamus, *Tantum enim quisque in Religione proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.* Conclamat Kempensis. Sed tu conscientiam tuam examines, an potius Legi Divinæ, & Regulæ Sanctæ vim non inferas, ut proprijs passionibus, & cupiditatibus vitiosis liberè servias? *Punct. III.* Considera quantas sibi heroicas fecerunt violentias Servi, & Servæ Dei, in contemnendis honoribus, ac Voluptatibus, in subeundis atrocissimis Martyrijs, in condonandis Inimicorum injurijs? Ac denique dum Religiosus Alphonsus de Esquerra meditaretur, qualiter Discipuli euntes in Emaus, Christum sub specie Peregrini secum manere coegerint? audivit de Cælo vocem: *Fac tibi vim, & mihi illam facies.* Ita & tu, ô! Religiosa anima! in vincendis passionibus, in amplectendis virtutibus, in Observanda exactè Regula Sancta, *fac tibi vim*, & illam Deo, ac Cælo in assequenda Corona gloriæ facies.

FEria. 5. Punct. I. Evangelicam Mulierem Sacer collaudat textus, quod perditam drachmam, *quæsierit diligenter.* Sed quantô magis nos in quærendo Salutis negotio, oportet esse diligentiores? quod nobis porro unum præ omnibus cæteris est maximè necessarium. *Quid* Math. 16 *enim prodest homini, etsi Mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Vide itaque, & seriò considera, quonam studio & diligentia, tanti momenti negotium tractes? *Punct. II.* Non est tibi omninò necessarium,

rium, ut hunc honorem, hoc Officium, hanc voluptatem, hos Amicos, iſtum ad commoditatem Conventum habeas, ſed ſummè tibi neceſſarium eſt, ut Salutem æternam obtineas. Si omnia hæc tibi placida poſſideas; & animam tuam perdas, omnia perdidiſti: ſi verò hæc omnia perdideris, animam verò tuam ſalvas, ſalva tibi ſunt omnia, hoc unicum lucrum, omnes jacturas compenſat. Sed quamvis ita neceſſarium, heu! quantùm tamen negligitur? Omnia reliqua ſeriò aguntur, pro omnibus alijs negotijs tempus invenitur, pro Solo ſalutis puncto, & tempus non habemus, & frigidè curam impendimus. *Punct. III.* Conſidera qualiter inter duas æternitates, felicem ſcilicet, & infelicem continuò incedas; ad priorem promerendam magnis opus eſt conatibus, & tamen eos non adhibes: ad alteram verò incurrendam, niſi unico fallente paſſu opus eſt, & non trepidas. Salutis negotium, grande eſt, quia ad infinitatem uſque ſe extendens, & in æternitatem deſinens. Si ſemel erraveris, infinitum bonum, quia Deum, & cum eo omnia bona perdidiſti; ſi benè tetigeris, Dèum, & interminabilem æternitatem, cum omnibus felicitatibus attigiſti. Væ! igitur tibi, qui in hoc bivio conſtitutus, non curas diligentiſſimè, quod tibi unicè neceſſarium ad aſſequendam illam felicitatem æternam.

FEria. 6. Punct. I. Mulier Evangelica poſtquam deperditam inveniſſet drachmam ad congratulandum ſibi, *convocat Amicos.* Cujus Luc. 15.

 occa-

occasione advertendum occurrit: quod etsi omnes homines lege charitatis diligere obligemur, in quantum tamen Adversarios nobis in via Dei offenderimus, monet Gregorius, ut hos omnes odiendo,& fugiendo nesciamus Sit igitur tua cùm omnibus tam ordinata amicitia nè hujus defectu inimicitiam Dei incurras. *Punct. II.* Lingva febricitans, quævis dulcia, reputat esse amara: & aspicienti per vitrum flavum, & si alba de se objecta, videntur flava: ita si oculos mentis tuæ infecerit febris Luxuriæ,& lingvam tui gustus, adusserit ignis concupiscentiæ, certô aliter tibi quas foves, apparebunt amicitiæ,nihil in ipsis observabis mali, etsi fuerint scandalosæ,& pessimæ. Ut ergo de his justum feras judicium, oculo ab omni passione defæcato, illa respicere necesse est, & sic ubi castam te sinu fovisse existimabas Columbam, venenosam reipsa comperies viperam. *Punct. III.* S. Bonaventura dicit: Mùlti sub prætextu Spiritus, familiaritatem,& amicitiam contraxerunt,rati eam non nisi à Deo,& spiritualem esse postmodum tamen amore illo, paulatim in malum degenerante, quod Spiritu cæpêre, carne consumarunt. Vide igitur qvantum sit in amicitijs privatis, animæ periculum, nec tibi confidas, ubi astuta Dæmonis fraude plurimi se deceptos ingemuerunt.

Sabbatho. Punct. I. Considera Christum dixisse: *Gaudium erit in Cælo, super uno peccatore*
Luc: 15. *pænitentiam agente.* Ex quo cognosce;quod sicut in homine peccante, Cælum suam perdendæ

animæ

animæ defleat jacturam: *Quia facti ſunt filii mei perditi.* ita dum per pænitentiam, ad ſinum Patris Cæleſtis revertuntur, tanquam filii Prodigi, gaudium Deo, Angelis, & omnibus Beatis afferunt, quia hæres ejuſdem felicis Patriæ, qui perierat, inventus eſt. Qvi ergo infernalibus inimicis, toties lapſu tuo, inſultandi dediſti occaſionem: *Euge quia devorabimus eum.* reverſus tandem ad ſinum amantiſſimi Patris, noli jam amplius Cælum ſuo privare gaudio. *Punct. II.* Deus ex infinita ſua perfectione eſt ſibi ad perfectam felicitatem ſufficientiſſimus, & ſi Cælum, ac terra, cum omnibus creaturis in nihilum redigerentur. In ſalvando tamen homine miſero, o! qvantam impendit curam: jam ſymbolo Boni Paſtoris, ſuam de noſtra ſalute demonſtrans vigilantiam: jam in Prodigo filio, Paterna nobis pandit viſcera. In Muliere Adultera, Luxurioſis offert miſericordiam: in Mathæo Uſurarijs gratiam; in Publicano denique omnibus peccatoribus, facilem ſcelerum veniam. Felix igitur eris, ſi eoſdem aliquando ſecutus peccantes, ſequaris tandem pœnitentes. *Punct. III.* Conſidera quam ſtupendam Deus in convertendis peccatoribus adhibeat ſolertiam, nam obſervat tempus, genio, ac propenſioni eorum ſe accomodat, infirmitatibus cædit, proſperis allicit, adverſitatibus reflectit, in Evangelio Piſcatoribus de Piſcibus, hominibus opum cupidis, de theſauris, & commercio proponit Parabolas: Ambitioſis de Regno, & Bello, Cordi verò tenero, quale erat Magda-

Threni. 1 · Thren. 2 · Joan: 10. · Luc: 15. · Math: 9. · Luc: 18. · Luc: 5. · Math: 13 · Luc: 10. · Luc: 7.

lenæ, de amore prædicat. Ille denique qui omnia fecit, omnia se homini facit: & cum sit immutabilis, omnis generis figuras assumit, ac facit se quodammodo mutabilem, ut nos de malis in bonos mutet. Fac ergo per veram tui conversionem Christo gaudium & tu ipse gaudens gaudebis perenniter in Deo salutari tuo.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Cùm turbæ irruerent in JESUM, & ipse stabat. Luc. 5.*

Punct. I. COnsidera quâ animi promptitudine ut dicit Evangelium: *Irruebant turbæ in JESUM, ut audirent verbum ejus,* prædicantis de Regno Dei, & medijs consequendi illud. Felix cui sordet terra, sed omne ejus desiderium sublevatur ad Cælestia. Unde & S. Pater noster Franciscus sæpè monebat Fratres, ut contemnentes quæ Mundi & Carnis sunt, *Suspiremus ad illa,* quæ nobis in Regno suo præparavit Deus. Vide igitur quonam cordis tui tendant desideria? *Punct. II.* Considera, si aliquando Suem in luti volutabro, & Scarabæum vidisti in sterqvilinio, qvanta apparet utriusque, licet in tam abominabili fæce oblectatio, quia non sapiunt, quæ præstantiora sunt. Ita meritò his annumerari meretur, qui cum Apostolo: *terrena non execratur, ut stercora, cui* Origine Creationis Deus: (ad Philip. 3.)

Os

Os ſublime dedit, Cælumque videre juſſit, & erectos ad Sydera tollere vultus. Cave itaqve, nè tu è contra cum animalibus demiſſo ad ſenſibilia vultu, guſtum quæras in terra. *Punct. III.* Animando ad perferenda viriliter tormenta Filium ſuum Machabæa ſucclamabat dicens: *Peto nate, ut aſpicias Cælum.* Sanctus etiam noſter Patriarcha de ſe ipſo dicebat: Tantum eſt bonum quod me expectat in Cælo, ut omnis morbus, paupertas, miſeria, & pœna me delectet. Ergo & tu Franciſcane, tanti Patris Fili, quid quid adverſi patiaris, gravaminis & moleſtiarum perferas, quaſi monentem te audires Patrem: *Peto nate, aſpice Cælum.* Surſum ad Cæleſtia erige cor tuum, & in comparatione gloriæ tuæ, omne pondus tribulationum præſentis ſæculi, lève ac dulce tibi fiet. 2 Mach. 7. 2 Mach: 7.

FEria. 2. *Punct. I.* Conſidera qualiter Chriſtus Salvator, volens prædicare populo de Regno Dei, præcepit Diſcipulis: *Ut navem cum ipſo reducerent puſillum à terra.* Cujus doceamur exemplo, quod ſi de Regno Dei, & Salute animarum noſtrarum tractarè cupiamus, à terra hujus ſæculi, cor, animumque noſtrum, avellere debemus: terrena namque ſubſtantia, pondus eſt, non ſubſidium, quò minus ad Cæleſtia ſublevemur. Qui ergo ſtas in terra, calca pedibus, non corde tene terram. *Punct. II* *Fratres nolite diligere Mundum, neque ea quæ in Mundo ſunt.* monet Evangeliſta. Hoc enim neque meretur, quia in promiſſis ſuis perfidus, in amicitia inconſtans, cum multo labore obtinetur, cum difficultate conſervatur, & facillimè Luc 5. 1. Joan: 2

limè amittitur: & quod maximum eſt, amor Dei & Mundi, ad invicem incompatibilis. *Qui enim diligit Mundum, in eo charitas Dei non eſt.* Cùm itaque unum ex his extremis eligere neceſſum ſit, cave nè fallacem Mundi amicitiam, grandi pretio perdendæ Dei gratiæ emere te reſolvas. *Punct. III.* Mundus, & cunctæ mundi opes, honores, ac dignitates, non ſunt per ſe mala, ſed abuſus horum peſſimus, Deus enim illa omnia voluit eſſe caduca, & tranſitoria, nè hæreditatem nobis in ijs fundemus, ſed tanquam peregrini, & Advenæ ad Cæleſtem Patriam tranſeuntes, ordinatè ſolùm & cautè his utamur. Nam dicit Augûſtinus: Cuncta creata ſunt munera amici, ſic æſtimanda, ut nec iſta propter ſe, ſed propter illum, ſcilicet Deum, & per iſta ipſum, & ſupra iſta, illum diligas. Cura itaque, nè hunc ordinem dilectionis, tua inordinata cupiditate permutes.

FEria. 3. Punct. I. Chriſtus Dominus conceſſit Apoſtolis Symbolô fundandæ Eccleſiæ, copioſam piſcium capturam: & ſimul dixit
Luc: 5. Petro: *Ex hoc jam eris homines capiens.* Undè datur intelligi, quod ſicut ipſemet Chriſtus multùm laboraverit docendo, & Prædicando gentibus: ita præcellens Officium Prædicato-
1. Co- ris, eſt munus *Chriſti coadjutoris.* Qui ergo
rint. 3. ad tam ſublime vocatus es Officium, cura ut dignè, & diligenter illud exequendo, promiſſum à Chriſto ſortiaris beneficium. *Qui eru-*
Daniel. *diunt multos, fulgebunt quaſi Stellæ in perpetuas*
12. *æternitates.* *Punct. II.* Laudabilis eſt quidem & multum meritoria Prædicationis Doctrina, per

per quam homines ad ſpiritualem excitantur profectum, ſed efficacior eſt boni exempli exhibitio, ſiquidem *Verba movent, exempla verò trahunt*. Qui ergo Prædicatione alios ad bonum, movere non vales, omnes tuæ in oculis hominum actiones Religioſæ, ac Modeſtæ ſint, & quilibet horum exemplo, facilius ad profectum pertrahet Proximum; cum aliundè aſſecuret S. Anſelmus: Nihil prodeſt exercitatum eſſe in dicendo, & ad loqvendum triviſſe lingvam, niſi plus doceas exemplo, quam verbo.

Punct. III. Pater Cherubinus à Spoleto, ſtupendi ingenij, & eloquij, Prædicator, cum præter humanas laudes, nullum in auditoribus feciſſet fructum Monitus, ut ſtyli culturam, in zelum mutaret Apoſtolicum, brevi Cæleſti horreo tantam intulit meſſem, quod poſt mortem viſus fuerit manibus Angelorum deferri, ſeptuaginta ſex millibus animarum, fructuoſo ſuæ prædicationis ſubſidio Salvatarum aſſociatus. Tu ergo qui Prædicas, *Sermo tuus non ſit in perſvaſibilibus humanæ Sapientiæ verbis, ſed in oſtenſiòne Spiritus, & Virtutis*. Qui verò audis, ora Dominum ut petreum cor tuum, ad ſuſcipiendum Verbum Dei, gratia ſua emolliat. Vading. 1. Corint. 2.

FEria. 4. *Punct. I.* Conſidera quod quemadmodum Chriſtus præcepit Apoſtolis expandere retia Evangelicæ prædicationis in capturam Animarum, ita etiam Mundus ſuos undique extendit laqueos, quibus homines in prædam æternæ perditionis involvat. Caveitaque, nè tunc vel maximè hoc pernitioſo irretiaris laqueo, dum tibi Mundus aſtutus Auceps, decepto-

ptorias nænias fiſtula dulce canit. *Punct. II.* Magnus Antonius videns totum Mundum in Spiritu extatico, undique laqueis repletum exclamavit: O! *Domine quis effugiet?* & audivit vocem de Cælo: *Solus humilis.* Non itaque ambitioſo, in altum volatu, ſed humiliter ſerpendo in terra, & tu hos pernicioſos animæ tuæ ſubterfugere poteris laqveos, exemplo
Pſal. 114 Prophetæ dicentis: *Humiliatus ſum, & ipſe liberavit me de laqueo venantium. Punct. III.* Contemplans naſcentis in Mundum hominis vias
Eccl: 9 Eccleſiaſtes: exclamat dicens: *In medio laqueorum ingredieris.* Nam ut ait Auguſtinus: vita præſens laqveis plena, laqvei à dextris proſperitates ſæculi, laqvei à ſiniſtris adverſitates, Amici nobis adulantur, inimici nos ad iram provocant, res amænæ nos faſcinant, odioſæ impatientes reddunt, divitiæ inſolentes, paupertas qverulos facit. Et licet omnia creata ſint, ut nobis eſſent ſalutis media, ob culpam tamen Originalem, fiunt nobis obſtacula. Vivens ergo inter tanta præſentis ſæculi pericula, cautè ſemper incede, nè fortè dum te maximè ſecurum exiſtimaveris, miſerè illaqveatus ingemiſcas.

FEria. 5. *Punct. I.* Conſidera Apoſtolos in captura piſcium ſinè Chriſto tota nocte in vanum deſudaſſe, ad præſentiam verò ſui Cæleſtis Magiſtri, cum minori labore, magnam concluſiſſe piſcium multitudinem. Quid quid enim cum Chriſto, vel laboramus pro Chriſto, magnum reportamus lucrum: deſudantes verò pro Mundo, longè majori fatigio, ſolam pœ-

nam,

nam, reportamus in præmio. Cave igitur nè te fallaci impendas Mundo, sed pro illius Dei liberalis honore labores, qui & minimos conatus noſtros, maxima remuneratur mercede. *Punct. II.* Quanta cum anxietate animi, inſomnes ducit noctes Avarus, ut congregatas augeat, auctas conſervet, conſervatis diutiſſimè fruatur opibus, Pauper verò paucis contentus, tranqvillam ducit vitam. Qvantas Luxurioſus patitur cordis preſſuras, ut ſuas ſordidas expleat voluptates: ubi è contra Carnis refrænans ſtimulum, & dulcem in ſpiritu qvietem, & glorioſum coram Cælo obtinet triumphum, ac denique copioſa æternaliter præmiatur mercede. Nemo igitur ſit tam ſtolidus, ut tantis impenſis, ſuam quærat damnationem, qvi minori labore æternam conſequi poterit Salutem. *Punct. III.* Nulla Religio tantas præſcribit auſteritates, qvantas pro exiguo ſtipendio pati cogitur Miles, qui frigus, famem, vulnera, pro minimo in exercitijs defectu, qvanta debet ſubire verbera, in Vigilijs inſomnes ducere noctes, inimicorum jaculis opponere pectus, vitam denique quâ nihil æſtimabilius, neci continuô habere expoſitam. Ubi ſæpè, & Animæ defectu debitæ diſpoſitionis pereunt. Idque, & per alios prædicatur Status. Undè meritò exclamat Thomas: *Plurimi in hac vita, eô labore infernum merentur, cujus vel dimidio Cælum lucrati fuiſſent.* Cancell. Aig. Tu igitur gratus ſis Deo, quod te in Sacra Religione, ſvavi Præceptorum ſuorum ductu, ad ſe pertrahere dignetur, ubi exiguo labore, magnam conſeqvi potes mercedem. *Feria.*

FEria. 6. *Punct*. I. Conſidera quod Apoſtoli videntes rete ſuum repletum magnis piſcibus, rogaverunt de alia navi Socios, *ut venirent, & adjuvarent eos*. Hoc enim præcipuum Domini præceptum eſt, ut quid quid exigentiæ in Proximis noſtris obſervaverimus, eisdem charitativè ſinè mora ſuccurere feſtinemus. Tu verò reflectas conſcientiam tuam, an è contra Proximo tuo, proſperum ſucceſſum non invideas? aut de adverſo caſu non glorieris? *Punct*. II. Proximi dilectionem, & Fraternæ charitatis exhibitionem, Chriſtus in Apoſtolis ſuis, pro ſigno habere voluit characteriſtico, per quod ſecernerentur ab ijs, qui non eſſent ejus Diſcipuli dicens: *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Ecce non miraculorum patratio, non Signorum, & portentorum oſtenſio, ſed mutua Proximorum dilectio, eſt certa Diſcipulatus Chriſti conteſtatio. Qui igitur erga Fratrem, & Proximum tuum corde foves, aut opere demonſtras odium, hoc ipſo teſtaris, quod de Chriſti Diſcipulis non ſis? *Punct*. III. Qvamvis nihil præſtantius, neque Deo acceptabilius ſit, Sacratiſſimô Altaris Sacrificiô, ſi tamen erga Proximum foveas odium, Chriſti mandatô, ab ipſo repelleris Altari, ut *prius Vadens reconcilieris, Fratri tuo*. Neque exiſtimes te dignè ad tremendum accedere Sacrificium, aut poſſe tibi conciliare Dei gratiam, niſi prius cum inimico tuo, in ſinceram redieris amicitiam.

Luc: 5.

Joan: 13.

Math: 5.

Sabbatho. *Punct*. I. Conſidera qvaliter vocante

cante

cante Christo Apostoli circa piscium capturam: *Relictis omnibus secuti sunt eum.* & quidem ut Luc. 5.
dicit S. Bernardus: Per veram omnium, quæ possidebant renuntiationem, per sinceram Doctrinæ ejus executionem, & exemplarem vitæ ejus immitationem. Et tu videris quidem sequi Christum, sed examina Conscientiam tuam, utrum Apostolicè seqvaris? Vox tua in emittenda Professione, vox fuit innocentis Jacob: sed manus operum tuorum, sunt manus perversi Esau: dum aliud Deo promisisti, aliud modo agis, Christum verum Religiosæ vitæ exemplar intueris, sed non immitaris. Professionisque tuæ est vox sola, prætereaque nihil. *Punct. II*, Christus fuit humilis, tu superbus, ille fugit honores, tu ultrò inseqveris. ille pauper,& nudus pro te moritur, tu omnibus vis cumulari comoditatibus, ille fuit Obediens, usque ad mortem Crucis, tu in rebus facillimis obedire renuis, ille in nulla re seipsum, sed gloriam Patris quæsivit, tu temetipsum, & gloriam propriam, in tuis dictis & factis quæris. Memento igitur quod dicit Bernardus: *Frustra sum Christianus, si Christum non sequor.* ita & tu frustra factus es Religiosus, si non vivas Religiosè. *Punct. III.* Pictor, si velit imaginem, unam alteri similem pingere, freqventissimè suum inspicit prototypon, & ad ejus exemplar omnia ducit,& accomodat lineamenta: ita dicebat S. Nissenus: Gregor.
Christianus debet esse imago Christi, & quasi alter Christus, per freqventem Virtutum ejus inspectionem, ac operosam immitationem.

Si-

Si ergo ad hæc quilibet obligetur Christianus & quantô magis nos Religiosi? qui ex Voto altissimæ Professionis Seraphicæ, ita in Christum transformari obligamur, quasi non amplius nos, sed ipse Christus viveret in nobis. Vide si è contra non transformeris, in abominabile passionum tuarum simulacrum.[2]

DOMINICA V. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Pharisæorum. Math. 5.*

Punct. I. Considera Pharisæorum fuisse Sectam, qui Sanctitatem & austeritatem vitæ, in solo cultu, & vestitu exteriori præferebant, re autem ipsa erant homines impij, & scelerati, Sepulchra foris dealbata, intus autem ut dicebat Christus, vermibus scatentia. Sic & nos caveamus Fratres Religiosissimi, ne justitia nostra sit purè Pharisaica, in nuditate pedum; & ruditate habitus, exteriorem præseferens Sanctitatem, in conscientijs verò nostris, pleni dolo, simulatione, & abominabiles Regulæ Sanctæ transgressores, coram Deo inveniamur. *Punct. II.* Religiosus Claustralis, debet, præcellere in perfectione hominem Sæcularem, sicut Rosa hortensis, in pulchritudine, & odore campestrem: nam hortensis, utpotè terræ bonæ inserta, frequenter culta, & aqvis tempore congruenti rigata, plenioribus turget folijs, magis

gis delicato recreat colore, & præstantiori exhilarat odore; quam rosa campestris inculta, & patentibus exposita injurijs. Sed è contra videmus, undè roseo suffundamur rubore, quod multi Sæculares, magis sint devoti, modesti, & humiles, quàm nos Regulares. Proindeque assecurante Christo scire velitis, quod *nisi justitia vestra plus abundaverit, non intrabitis in Regnum Cælorum. Punct. III.* Philosophus doctus, irridens simplicem dixit: *Pallium video, Philosophum non video.* Ita Fratres metuamus, nè Cælum insultet nobis: Habitum video, sed Religiosum non video, nam Religiosus fictus, est homo pictus, exteriori specie præsentat Sanctitatem, & corde fovet iniqvitatem: publicè sibi ea simulat displicere, quæ in occulto solet consvetô committere. Caveamus itaque, nè sub pallio Sanctitatis, simulemus iniqvitatem Pharisaicæ perversitatis.

FEria. 2. Punct I. Considera quod Christus commemorando Legem de *non occidendo.* pari obligatione Proximi diffamationem prohibuit dicens: *Dictum est antiquis non occides, ego autem dico vobis, qui dixerit Fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Sicut enim gladius occidit, & privat hominem vita, ita aculeus lingvæ occidit, & privat Proximum bona fama, quæ æquiparatur vitæ. Qui igitur manus tuas non maculasti Sangvine Proximi, custodi nè & lingvam tuam pari contamines diffamationis delicto. *Punct. II.* In Epistola Jacobi dicitur de lingva detractoris, quod sit *plena veneno mortifero.* Nam vix ejus ictus sentitur, & tamen virus

Matth. 5.
Jacobi. 3.

virus mortiferum, usque ad cor immittitur, et sagitta, quo acutior, eò ad infligendum lethale vulnus penetrabilior. Ideoque, qui manifestam hominis cavemus occisionem, non minus conscientias nostras à detractoria Proximi custodiamus læsione. Nam dicit Propheta: *Si mordet Serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* *Punct. III.* Detractor uno ictu, tres simul interficit, scilicet semetipsum, illum qui libenter audit, & de quo loquitur. Hoc tamen scelus tam freqventer practicatur, quod S. Hieronymus dicere non dubitaverit: Detractionis tanta libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen, quasi in ultimum laqveum incidant. Monentur itaque Apostolo: *A detractione Fratres parcite linguæ.* Ne Proximi famam lædentes, simul & animas vestras occidatis.

Eccles.

FEria. 3. *Punct. I.* Considera quod Christus Dominus, præcavendo in uno quoque vitio, sam Iracundiæ passionem dixerit: *Qui irascitur Fratri suo, reus erit Judicio.* Sæpius enim in arguendo Proximi defectu, passione ducimur, & zelum putamus. Alios reprehendimus non ex charitate emendationis, sed ex livore passionis, alienum malum, proprio malo accendentes. Irascimini itaque, sed nolite peccare, quod tunc securè facietis, dum pro objecto redargutionis peccatum ipsum, non verô peccatorem habueritis. *Punct. II.* Inordinatæ Iræ passione, nihil turpius in homine, nam hæc à Sapientibus dicitur: *Brevis insania.* Sicut enim stulto-

Math: 5.

Psal: 4.

Philos:

ſtultorum ſunt ſigna: audax & furens vultus, torva faciens, os ſpumans, greſſus, & motus citior, mens inqvieta: ita eadem iraſcentium ſigna, nomen tantum ſtultus, & iratus diverſum habent, ſed ita ſibi ad invicem copulantur, ut communiter ubi iracundia, ibi quoque ordinarie invenitur inſania. Cave itaque inordinatam iræ paſſionem, ut non venias in ſtultorum connumerationem. *Punct. III.* Audi denique & pro regula doctrinam S. Gregorij tene qui dicit: Sciendum eſt, quod alia ſit ira, quam impatientia excitat, & alia quam zelus juſtitiæ format, illa ex vitio, hæc ex virtute generatur, ſi enim nulla ira ex Virtute ſurgeret, Divinæ animadverſionis impetum Phinees, per gladium non placaſſet: hanc iram quia Heli non habuit, motum contra ſe implacabiliter, ſupernæ ultionis excitavit. Procedat ergo ira tua, & zelo, & juſta ratione, non verò ex malitioſo impetu, & effræni paſſione, ut Virtus eſſe poſſit.

Numeri 25.
1 Reg. 2.

FEria. 4. *Punct. I.* Conſidera, quod Chriſtus Dominus, volens in cordibus hominum, ſincerum erga Proximos, radicare amorem, ab odioſis & læſivis præcavebat verbis dicens: *Qui dixerit Fratri ſuo raca, reus erit judicio.* Nam ſicuti non niſi homo freneticus, ſeipſum lædit, & dilacerat, ita cùm omnes ſimus, unum corpus in Chriſto, cujus corporis ipſe caput eſt; non igitur ſanæ mentis es, qui conmembrum tuum Proximum ſcilicet, læſivo Verbo offendere præſummis? *Punct. II.* S. Hieronymus Odium Proximi æquiparat homicidio dicens:

 cens:

cens: Cùm homicidium ex odio sæpè nascatur, quicunque Proximum odit, etiamsi nec dum gladio percusserit, animô tamen homicida est.
1.Joan:3 ibid. Cave itaque, nè propter odium proximi, tanquam homicidij reus, à Regno Cælorum excludaris: cùm expressè dicat Apostolus: *Qui odit Fratrem suum, homicida est.* *Punct. III.* Crux etsi probrosa, & exitialis, ante fuerit hominibus, quia tamen per eandem reconciliati sumus Deo, & ex Filijs iræ, facti sumùs Filij Altissimi, modo colimus, amamus, & adoramus illam: eodem etiam modo, quoniam *inimici* nostri, sunt nobis plurimùm utiles, nam thesaurizant nobis patientiæ meritum, & extollunt nos usqve ad Filiationem Dei, dicente
Math:5. Christo: *Benefacite his qui oderunt vos, ut sitis Filij Patris vestri, qui in Cælis est.* Ergo Proximos nostros, qvantumvis nobis adversarios, & molestos, cum per ipsos tanta bona consequi poterimus, non odisse, sed amare obligamur. Vide si hoc facias.

Math:5. *FEria. 5. Punct. I.* Considera, nos Christum monentem, ut quid quid boni agere velimus, prius nostras diligenter inspiciamus Conscientias, an revera puræ sint? *Si recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus, ante Altare, & vade prius reconciliari.* Sicut enim de fonte turbido, non nisi rivus promanat turbidus; forte venenum, optimam intoxicat portionem: ita de mala conscientia, nullum Deo placens, procedit opus. In omni igitur opere tuo, cura ut puram habeas conscientiam, ut merearis Dei obtinere
gra-

gratiam. *Punct. II.* Regula,& index Conſcientiæ noſtræ debet eſſe Lex Dei, & naturæ, juxta cujus rectum operantes dictamen, benè agimus, contra verò facientes peccamus. Maximum tamen inter hæc duo extrema, errandi ocurrit periculum; dum falſò has Leges in ſenſum noſtrum interpretamur, exiſtimantes nobis licitum, quod revera peccaminoſum eſt. Prudenter itaque conformari Legi Divinæ ſemper in operando ſtudeas, nè per laxas opiniones, latam tibi ad infernum viam ſternas. *Punct. III.* Conſcientia in quadruplici ſolet fundari ſtatu; ideſt: *Pura,& pacifica*, qualis adhuc in terris poſſidet Cælum. *Pura ſed ſcrupulis turbata*, & eſt Servis Dei Purgatorium, dum timent culpam, ubi non eſt. *Mala & inquieta*, habens adhuc de peccato remorſum, quæ eſt ad perditionem gradus. *Mala & quieta*, ubi peccator in conſvetis ſceleribus complacet ſibi,ac qvieſcit: & hæc eſt finalis ſinè liberatione infernus. Examina hic diligenter Conſcientiam tuam, in quo nam ex his habeas fundatam ſtatu?

FEria. 6. Punct I. Conſidera Chriſtum Dominum præcepiſſe faciendam prius offenſo Fratri reconciliationem, quam cujuſvis præcellentis operis executionem. *Vade prius reconciliari Fratri tuo.* qvinimo S. Gregorius ſubſcribit: Probatio Sanctitatis non eſt ſigna facere, ſed unumquemque, ut ſemetipſum diligere. Qvantô magis nos Religioſi, mutuam ad invicem, tenemur ſervare charitatem: quos fides, Profeſſiò, & unius Matris Provinciæ edu-

catio, verè fecit Fratres esse germanos. *Punct. II*
In Architectura construendi sui tabernaculi,
Exod:37 præcepit Deus Moysi: *Duos Cherubim aureos facies qui se mutuo respiciant.* Non dicit Deus, volo, ut illi Cherubim oculos suos, in thronum Majestatis meæ conjiciant, sed ut se mutuo respiciant. Ex quo nos instruamur, destinati ad Custodiam Sanctuarij, terrestres Cherubini, quod ante Sancta Sanctorum nostras fundentes preces, multiplicantes suspiria, elevantes manus, tunc maxime Dei gloriam, & proprium augebimus meritum, dum per veram concordiam, & sinceræ Charitatis fraternæ unionem, nosmetipsos respexerimus. *Punct. III.* Christus Dominus, de hoc Mundo transiturus ad Patrem Cælestem, ita pro suis fidelibus Ora-
Joan:17 vit: *Ego rogo pro eis Pater, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* id est, rogo pro eis Pater, ut qvadam similitudine, sicuti nos tres personæ, quamvis distinctæ; naturâ tamen identica, unum sumus: ita & mei fideles, licet personis, genio, patria, & progenie distincti, unum tamen, corde, animo, & concordi sint charitate. Qvoties ergo discordijs, Fraternam lædis charitatem, toties malitiosè in te frustras Christi Orationem.

Sabbatho. Punct: I. Considera, qvaliter Christus Dominus docuerit Apostolos, ut non nisi purgata, & debite conscientia disposita, ad Altare, oblaturi munera accedant; *Et tunc*
Math:5 *veniens offeres munus tuum.* Unde & nos discamus, ut non ex consvetudine sola, sed ex Dei amore, & ferventi pietate, debitum tantæ Majesta-

jeſtati cenſum, dum ad Sacra accedimus, perſolvamus. *Punct. II.* Agnus in Veteri lege, Numer. 28.
& quævis victima, prius debebat occidi, quam immolari; ita & tu oportet, ut tuis moriaris cupiditatibus, antequam in Sacrificium laudis Deo immoleris. Dicit enim S. Leo Papa: Pretioſa in conſpectu Domini, iſta mors Sanctorum, ubi homo occiditur Mundo, non terminatione ſenſuum, ſed fine vitiorum. Cura igitur, ut in *odorem* ſvavitatis, *talis* Deo evadas victima. *Punct. III.* Conſidera, quod quid quid Deo extra te obtuleris, parum feciſti, ſed ſi temetipſum eidem in victimam immolaveris, gratiſſimum tunc Sacrificium effeciſti: Occide igitur in te Superbiæ taurum, giboſum avaritiæ Camelum, jugula malè olentem Luxuriæ hircum, ſaginatum gulæ vitulum, ſuffoca mordacem invidiæ cerberum, dilacera pigritiæ aſellum, & acceptabilius Deo offeres Sacrificium, quam ſi cum Salomone boum, & 2. Paral. 7.
arietum, centena mactaſſes millia.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Cùm turba eſſet cum IESU, nec haberent. Marc. 8.*

Punct. I. Conſidera, qvantò cum deſideriò ſequebantur turbæ Chriſtum prædicantem, cupientes animas ſuas paſcere doctrina ipſius ſpirituali, obliti proviſionum corporalium, dicente Evangelio: *Nec haberent*

quod manducarent. Qvorum pietate, nostram confundamus socordiam, quod in sortem Divini Servitij vocati, prius, ac majori cum solertia Corporis quæramus commoditates, quam spirituales animæ necessitates. *Punct. II.* Quâm turpe est in Religioso, vix alium audire discursum, nisi quod laudet abundantiam, vituperet victus parsimoniam, nulli studio ita intentus, quàm ut suis satisfiat commoditatibus; turbatur denique semper cum Martha circa coqvinam, & non curat salutis negotio
Luc. 10. intentus esse ad pedes JESU cum Magdalena.
1. Corin: 6 Sicque juxta Apostolum: *Esca ventri, & venter escis*, in uno apud ipsum volvuntur & revolvuntur circulo vitioso. Execrare igitur quæ carnis sunt, ut commodius spiritualibus perfruaris. *Punct. III.* In exigentijs nostris fidimus ijs, quos amamus, & à quibus nos vicissim amari credimus, & quomodo Deo in tuis necessitatibus diffidere præsummes, qui infinita amoris sui erga te continuó exhibet testimonia? Jacta igitur brevi morituri corporis tui
Psal. 54 curam in Dominum, & ipse te enutriet, pro principali verò intendè negotio salutis Animæ æternum duraturæ, ut Dei expleas voluntatem, & tuam asseqvaris felicitatem.

FEria. 2. *Punct. I.* Considera quam tenerrimo affectu Christus Salvator commoveatur erga populum, triduo in auditione suæ prædi-
Marc: 8. cationis commorantem dicens: *Misereor super turbam.* Nam revera, si gratiam Dei qvantùm in nobis est, quærere satagamus, ab ipso, omnium bonorum largitore, abundantius quam spera-

ſperamus, theſauros favorum ſuorum diffundi in nos ſentiemus. *Punct. II.* Dupplici homo conſtat ſubſtantia, Corporali ſcilicet, ſecundùm qvam conſideratus, eſt ſqvalidus animæ carcer, canale ſordium, & omnium infirmitatum Officina. Conſtat præterea ſubſtantia Spirituali, ſcilicet Animæ, ſecundùm quam creatus eſt ad Imaginem Dei, & ut eidem ſerviens, hæres Cæli fiat. Vide igitur & ſattagas, nè curam corporis, Saluti Animæ præponas, ac propter placitum miſeræ carnis, æternam felicitatem Animæ amittas. *Punct. III.* Perpende diligenter, ſi te Deus ex infinita ſua clementia, renitentem vocet, fugientem ſeqvatur, rebellem funiculis gratiarum ſuarum conſtringat; qvantò amoroſius te reſpiciet, ſi eum humiliter invocaveris, vocantem ſecutus fueris, & dona gratiæ ſuæ tibi conferre volentem complectaris: Spera igitur in Domino & fac bonitatem, & paſceris in divitijs ejus. Pſal: 36.

FEria. 3. *Punct. I.* Conſidera, quod Apoſtoli videntes in deſerto, copioſam hominum multitudinem, admirabundi dixerunt: *Quis poteſt iſtos ſatiare in deſerto?* quia nondum intellexerant, quod in amaro ſui vultus ſudore, tàm Urbinas Mechanicus, quàm campeſtris, debeat quærere panem Arator: ſolus verò Cæleſti alimento dulciter à Deo paſcitur Eremi amator. Contemne igitur Ægyptiacam carnis ſaturitatem, ſi velis Spiritualibus perfrui delicijs. *Punct. II.* Manna Cæleſte omne in ſe habens guſtus oblectamentum, non fuit datum populo Iſraelitico, dum ſedebant ad Ollas Exod: 16

car-

carnium in Ægypto, neque dum fruerentur bonis terræ Chanaan, neque cum manebant in Castris, sed dum ad illud colligendum, proficiscerentur extra in campum solitarium. Quo docemur, Cælestium donorum affluentiam, non inter Mundanas opes, ac Carnales saturitates, sed in deserto, & animi solitudine esse quærendas. *Punct. III.* Jsaias dicit de Anima Solitaria: Quod Deus, *ponet desertum ejus, quasi delicias, & Solitudinem, quasi hortum Domini, gaudium, & lætitia invenientur in ea.* Jsai: 51.
Confunde hic mores tuos, quod potius humana quærens solatia, tædio Solitudinis afficiaris, nec perindè dulcedinem Cælestem, solis deserta amantibus absconditam, degustare merearis. Fuge qvantum potes familiaritatem hominum, & familiares ipsos habebis Cælites.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera qvaliter Christus interroget Apostolos: *Quot panes habetis?* Per quod edocemur, in præsentis vitæ decursu, tam circa alimenta, quam cætera corporis necessaria, non debere nos semper ad solam miraculosam Dei recurrere Providentiam, sed cum ejus auxilio, quærenda sunt, ordinaria provisionis remedia, cùm & ipse Christus, cui ministrabant Angeli, Vitæ tamen sustentationi necessaria, à fidelibus sibi oblata, Apostolorum ministerio, conservasse legitur. Quorum exemplo, & tu curam tibi circa necessitates Conventus commissam, diligenter impende. *Punct. II.* Corpus nostrum, est Animæ datum, sicuti Viatori Eqvus, quô mediantè faci-

facilius iter præsentis vitæ, ad æternæ felicitatis terminum profecturi perficiamus: Proindequê non est totaliter relinqvendum, neque exterminandum, sed ita cautè necessarijs providendum, veluti jumentum Dei, & nostri itineris comes, nè saturitate luxurians insolescat, aut nimia alimenti subtractione deficiat. *Punct. III.* Christus ipse dixit: *Nonne anima plus est, quam esca?* Sic itaque corporis necessaria exqvire, ut prius, & diligentius animam pabulo Spirituali, quam corpus alimento sensuali reficias. Math16.

FEria. 4. Punct. I. Considera qvaliter Christus, *Accipiens panes prius gratias egit.* ac postmodum turbæ discumbenti, ad manducandum distribuit. Cujus exemplo disce, nè unquam guloso appetitu, in cibum, aut potum involes, qvin prius tanqvam donis â Deo tibi datis, devotam benedictionem præmittas. Tu verò è contra in Religiosa portione, non consideras donum Dei, sed solam gustus voluptatem quæris, aut non inveniendo totum vituperas, & contemnis. *Punct. II.* Naturali solo instinctu, festinat Brutum, dum videt sibi convenientem obijci escam: Tu verò rationalis homo, judicio, & gratitudinis jure, dona Dei æstimans, sic caute, devote, ac modestè comedas, ut vivas: non autem vivas, ut comedas. *Punct. III.* Ipse Christus populo esurienti in deserto, non dapes exqvisitas, sed solum panem & piscem distribuit, cujus dato, ac beneficio omnes saturati sunt. Tu verò confundaris ambiens Religiose, quod tibi ad

Men-

Mensam, caro insipida, pisces fœtidi, legumina putrida, omnis denique portio, murmure potius damnabili exosa redditur, quàm ut pro eadem Deo grates referas debitas. Qvamvis dicat S. Hieronymus; quod multi in paupere domo nati, vix milio, & pane cibario, poterant rugientem satiare ventrem, qui nunc in Religione, Similam, & mel fastidiunt.

FEria. 6. Punct. I. Considera, quod de populo quatuor millium in Deserto, provisione Christi refecto, dicat Evangelium: *Manducaverunt & saturati sunt.* Ubi apparet nullum fuisse, in tanta hominum multitudine, qui de parcitate, aut qvalitate cibi murmurasset, quia miraculosum de manibus Christi donum, ac datum, dulciter degustarunt. Si & tu Frater Religiose, portionem tuam Providentia Dei tibi datam æstimares, certè hac contentus, nunquam de eadem murmurares. *Punct. II.* S. noster Bernardinus Feltrensis, instinctu Divino, veniens noctu ad Refectorium, vidit multos Fratres mœstos, ac flebiles Mensis assidentes, unum verò è pulpitu proclamantem: *Ambitio, refectio, & murmuratio, deduxerunt nos ad tartara.* Cavete itaque o! Fratres, qui hæc auditis, nè aliquando, pari sorte infelici, *murmur* Refectorij deploretis. *Punct. III.* Si tibi videantur cibi sanitati tuæ nocivi: monito S. Bernardi, pauper Bernardine, memineris te esse Monachum, non Medicum, nec de complexione debere judicare, sed de Professione. Ideoque humiliter manduca, vel patienter abstine, & perinde non morieris, quinimò per morti-

Wadin. Tom. XIV.

Serm. 30 in Cant.

mortificationem carnis, plurimùm in gratia Dei Spiritum tuum vivificabis.

Sabbatho. Punct. I. Postquam Christi Providentiâ, populus in deserto fuisset saturatus, de remanentibus fragmentis collegerunt Apostoli septem sportas: ut munificentiæ Divinæ elucesceret largitas, & manducantium commendaretur temperata frugalitas. Confundaris hic Religiose, quod immemor tuæ Paupertatis, nunqvam ad Mensam dicis te habere satis. Ubi tamen, non est verus Pauper, qui non sentit incommoda pauperis. *Punct. II.* S. Paulus execrabatur eos: *Quorum Deus Venter est.* Philip. 3 Et tales sunt, qui Divinum Officium absolvunt perfunctoriè, Missas celebrant, vel audiunt indevotè, omnia denique spiritualia exercitia percurrunt tædiosè, ut qvantocius sua intemperata comestione serviant Ventri. Contra tales exclamat Gerardus Abbas dicens: Væ æternum! qui plus serviunt corpori in Cænobio, quàm suffecissent in sæculo. *Punct. III.* S. Augustinus confitebatur Deo: *Docuisti me Domine, ut ad alimenta, sicut ad medicamenta accedam.* id est, non avidè, non gulosè, non murmurando, non vituperando, sed prout saluti corporis congruit, ut Servitio Dei aptus esse possim, illa summendo. Sic fac & tu, hocque modo, tam corpus, quam animam enutries in Vitam æternam.



DOMI-

DOMINICA VII. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos. Math. 7.*

Punct. I. CHristus in hodierno præcavet Evangelio dicens: *Attendite à falsis Prophetis.* quia non omnis apparenter bona instructio, est revera salutaris eruditio, sed sæpè sub melle dulci, mortiferum latet venenum. Undè subtiles, ac novas doctrinas, aut cautè lege, aut simpliciter devita, tritis enim potius inhærendo Sanctorum vestigijs, tutius culmen perfectionis attinges. *Punct. II.* Cùm malum, sub ratione mali, non appetendum, sed potius fugiendum, ipsa svadeat ratio, ideoque ut depravetur animus, speciem boni apparentem induere debet, & sic omnes Hæresiarchæ sub specie pietatis, aut publicæ utilitatis, suis perversis dogmatibus, plurimas seduxerunt animas. Cave itaque à novæ politicæ doctrina, memor Apostoli cautelæ: *quod & si*
ad Gal. 1. *Angelus veniens de Cælo evangelizet vobis, præterquam quod Evangelizatum*, & jam ab Ecclesia receptum est, *anathema sit*. *Punct. III.* Cavendum præterea à falsis Prophetis, quorum astutiores sunt: *Mundus* scilicet, qui svadet facienda causa Virtutis, quod tamen fit, ob appetitum honoris: *Caro* svadet indulgendum sibi ex necessitate, quod tamen fit potius ex volu-

voluptate. *Dæmon* inducit ad turpem cofidentiam, & fingit solam esse officiosam amicitiam. Ipse denique tibi falsus es Propheta, qui progrediens via iniqvitatis, putas te perventurum ad terminum æternæ felicitatis.

FEria. 2. *Punct.* I. Considera, quod Christus Dominus execretur illos, qui apparent *in vestimentis Ovium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces*, nam abominabilis Deo illa Sanctitas, quæ in sola externa apparet specie, corde autem fovetur iniqvitas, contra tales exclamat S. Chrysostomus dicens: Ad quid vis apparere, quod non vis esse, ergo appare quod es, aut esto, quod appares. *Punct.* II. Si videres cadaver mortui Regis collocari in throno, quamvis esset ornatum insignijs Regalibus, quia tamen ejusmodi corpus esset sinè vivificante anima, quis hoc diceret, regendi potestate idoneum? Sic & tu Religiose, fictam pietatis speciem præferens, quamvis exteriori habitu, & coloratis appareas ornatus Virtutibus, si tamen animâ, & animô sincerê Deo serviendi careas, simulacrum certò es inane, neque capax posessionis Regni Cælestis. *Punct.* III. Audite, qvantum illam fictam Sanctitatis speciem improbet S. Hieronymus dicens: Verè ah! verè monstrosa res est, speciem habere columbinam, & mentem caninam, Professionem ovinam, & intentionem lupinam, foris esse Catonem, & intus Neronem. Fuge igitur, & execrare tales colores, qui non Cælo, sed soli inferno acceptabiles.

FEria. 3. *Punct.* I. Considera, quod Judiciali Sen-

Sententia, reus furti censeatur, qui chymicam compositionem, pro vero vendit auro, qvantò severius tremendi Judicis condemnaberis decreto, qui chymericam ostentans Sanctitatem, præsefers in imagine, quod non habes in veritate. Non igitur fictam, sed solidam in cor-
1. Corin: 4. dibus nostris radicemus Virtutem, qui spectaculum facti sumus Deo clarè omnia videnti, & postmodum hominibus. *Punct. II.* Meritò asserit Kempensis: quod Habitus, & tonsura modicum conferant, sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum, verum faciant Religiosum. Non ergo verus es Religiosus, qui sola exteriori specie præfers pietatem, & solidam internarum passionum, non curas mortificationem. *Punct. III.* Pseudo-politica, propter Socialem hominum Vitam, reqvirit solam externam virtutis speciem, sed è
Math: 5. contra Christus docuit: *Estote perfecti, sicut Pater vester Cælestis perfectus est.* Sicut autem in Patre Cælesti nulla esse potest virtutis, & perfectionis fictio, cum sit ipsa essentialis Sanctitas, ita & nos, non solùm in exteriori specie, sed etiam in toto cordis, & animi studio, perfecti, ac Virtuosi esse studeamus.

FEria 4. *Punct. I.* Christus dixit de illis, qui piè videntur vivere: *Ex fructibus eorum, cognoscetis eos.* Nam sicuti Virtus solida, diu sub modio, tanqvam lucerna ardens, latere non potest, ita fructus coloratæ Sanctitatis est, quod facillimè ammittatur, cum apparenti solum fumo innitatur. Cave igitur nè tali simulatione alios decipere volens, ipse tan-
dem

dem coram Deo, & hominibus confusus decipiaris. *Punct. II.* Per Virtutem fictam, dupliciter te damnificas, nam hic temporaliter mortificaris, & post mortem cum hypocritis mortificaberis. Per fructum verò solidæ, ac veræ Virtutis, & in tempore honoratus, & in æternitate, evades coram Deo sublimatus. Qværas igitur potius fructum, quam damnum bonæ operationis. *Punct. III.* Nonne Frater Religiose sæpè jejunas, sed impatiens contra portiones murmuras, absolvis quidem Divina in Choro, & Ecclesia Officia, sed distractè, & oscitanter, commissa tibi munia tam intra, quam extra Conventum exeqvèris quidem, sed negligenter, aut privatum potius, quàm commune qværens bonum. En igitur ex fructu talium operationum facilè judicari potes, non quod revera sis, sed quod tantum videaris Religiosus.

FEria. 5. *Punct. I.* Considera Christum Dominum dixisse: *Non omnis qui dicit, Domine: Domine intrabit in Regnum Cælorum.* ex quo Animas nostras reflectamus Fratres: quod de Salute nostra per hoc neqvaqvam certi simus, quia die noctuque, laudes ejus decantantes, Nomen Domini invocamus: Sed præterea necessum est ut fervori nostræ devotionis, correspondeat studium bonæ operationis. *Punct. II.* Omnes quidem Christiani dicunt bis: *Domine Domine.* corde scilicèt credendo, & ore loqvendo, quod non sufficit ad Salutem, sed oportet ter dicere *Domine. Corde* nimirùm credendo, *Ore* fidem confitendo, & *Opus* Religio- Mah: 7 c

nis

nis exequendo. Multò magis nos Religiosi, nisi hoc modo ter Nomen Domini invocemus, nequaquam capaces nos consequendi Regni Cælestis efficiemus. *Punct. III.* Ut fructuosa sit nostra Dei invocatio juxta doctrinam S. Adalberti Magni: debet procedere ex fide puri cordis, ex Confessione sinceri oris, & testificatione boni operis. Aliter quamvis multum oras, Deum re ipsa magis irritas, quam laudas, confirmante Augustino: Quid prodest quia hymnum cantat lingva, si Sacrilegium exhalat vita tua? Vide igitur, & examina consciens-
Math 5 tiam tuam, nè sis de populo, qui solis labijs Deum honorat.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera Christum dixisse: *Qui facit Voluntatem Patris mei intrabit in Regnum Cælorum.* Conformitate enim voluntatis humanæ cum Divina, nihil est perfectius, nam hæc est omnium Virtutum Summarium, & totius Christi Doctrinæ breviarium: dum non quod ipse homo vult, sed quod de ipso ordinat Deus, sincera semper exeqvitur resignatione dicens: *Non quod ego volo, sed quod tibi Domine placet, fiat voluntas tua. Punct. II.* Cùm Deus essentialiter bonus sit, non nisi omne bonum fontaliter ab ipso promanat: cum Pater nostrum amantissimus sit, non nisi quod Saluti nostræ congruit semper nobis ordinat. Sive ergo prospera, sive adversa sanitatem, sive infirmitatem, Vitam, sive mortem tibi immiserit lubenti, & resignato suscipe animo, dicens: *Fiat Voluntas tua.* Et perindè non tantum veniam peccatorum obtine-

tinebis, ſed etiam tantum gloriæ mereberis, quod non tantum inferni rogos, ſed etiam purgatorij pœnas timere non poteris. *Punct. III* Christus Dominus S. Catharinam Senenſem modum perfectiſſimæ reſignationis per hæc tria docuit: Ut nihil Filia in Mundo ames, niſi propter me, neque me propter te, ſed propter me ipſum ſolum. *2do.* Ut omnia tua cogitata, dicta, & facta, ad mei ſolius laudem dirigas, tuoque exemplo, etiam alios, ad benè operandum excites. *3tio.* Ut ſummo deſiderio non solùm malum non velis, ſed neque bonum cupias, niſi eo modo, quo ego illud volo. Exequamur igitur, & nos hanc Chriſti doctrinam, conformando nos pleniſſimè Voluntati Divinæ, & ſic felices vivemus in Deo, & Deus vivet in nobis. Drexels

Sabbatho. Punct. I. Conſidera, quod ſicuti viventi ſecundum Voluntatem Divinam, promiſſum eſt Regnum Cælorum, ita è contra, Chriſtus dixit S. Brigittæ: Quicunque habet liberum arbitrium in manu ſua, timere debet, quod nihil ita facilè ducit ad pænam æternam, ſicut *Voluntas propria.* Opus enim qvantumvis excellens, ſi propriam redoleat voluntatem, abominabile eſt coram Deo. Vide igitur, nè & opera tua bona, hac peſte inficiantur. *Punct. II.* Humana judicia cùm ſint defectibilia, inclinationes etiam ad bonum, facilè, ſpecie privati commodi deceptibiles, nam *ſæpè Diabolus, transfigurat ſe in Angelum lucis.* 2. Corint: 11. Ideoque hac ſolum perfectionis ſemita tutiſſimus ibis, ubi omnia non ad tuum proprium

 velle,

velle, sed ad nutum Dei, & Superiorum tuorum perfeceris. *Punct. III.* S. Pater Franciscus Epistola sua hortatur Fratres dicens: Quamvis Subditus viderit meliora, & utiliora, animæ suæ, quàm ea, quæ suus Prælatus præcipit, suam tamen Voluntatem Sacrificet Domino, & quæ Prælatus præcipit, studeat adimplere; tale Sacrificium propriæ voluntatis, acceptissimum est apud Deum. Stude igitur omni conatu Mortificationi propriæ Voluntatis, hac enim cessante, ipse tibi cessabit infernus.

S. Bernar.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Homo quidam erat Dives, qui habebat Villicum. Luc. 16.*

Punct. I. Considera, in hodierno commemorari Evangelio, quod *Homo quidam erat Dives.* Si cui nostrum displiceat, & ægrè feratur Paupertas, quærat liberè divitias, sed solum illas, quas svadet S. Gregorius dicens: Si Fratres charissimi, divites esse cupitis, veras divitias amate. Veræ autem divitiæ sunt, quæ nos Virtutibus locupletes efficiunt. Cura, ut his cumulatus, æternaliter in Domo Dei tui perfruaris. *Punct. II.* Qui verò Religiosa gloriaris Paupertate, cave ne monito Cassiani sis ex illis: Qui postquam facultates omnes, quas in Mundo habebant, generosè dimiserunt, in Religione tamen, tanta solicitudine erga regulas, & contemptibiles

les minutias feruntur, suasque commoditates, tam studiosè sectentur, ut harum curâ, pristinarum facultatum passiones superent: vitiumque cupiditatis, quod erga res pretiosas, exercere non valent, circa viliora retinent. Vide igitur, nè etiam ex minutis rebus tuis, Dives coram Deo judiceris. *Punct. III.* S. Bonaventura dicit: Qvi cupiditati res possidendi, non renuntiat, talis Religiosus, licet re ipsa nihil possideat, adhuc tamen loculos mentis, certum est,quod retineat. Seriò igitur discute conscientiam tuam, nè pauperem te existimans, cupiditate tamen res habendi, cum Divitibus condemneris.

FEria. 2. *Punct. I.* Parabola refert Evangelica, qualiter Villicus apud Dominum fuerit diffamatus, cujus occasione considera, diffamationis crimen esse gravissimum: nam *Bonum nomen melius est, quam divitiæ multæ.* Opes enim sunt externæ, corruptibiles, bonis, & malis communes, simul cum vita finem habituræ. Fama vero est homini magis intrinseca, quia fundatur in Virtute, & crescit etiam post mortem. Qui ergo alium infamas, non solûm eundem in Vita, sed etiam in bonis post mortem duraturis injurias. *Punct. II.* Triplex hominis distingvitur vita, *Spiritualis* scilicet, quæ in Dei gratia: *Corporalis*, quæ in conjunctione Animæ cum corpore: & *Civilis*, quæ in bona fama consistit. Detractor itaque, uno virulentæ suæ lingvæ ictu, hæc tria committit homicidia. Prohibe ergo à tam grandi malo lingvam tuam, nè alijs, & tibimet ipsi Prover. 22.

 letha-

lethaliter noceas. *Punct. III.* Teste Sancto Dorotheo: quidam Monachus magnam sibi in Cælo meruit gloriam, eô quod cùm aliquem alteri detrahentem audivisset, dicere solebat: Heu mihi! ille hodie in peccatum cecidit, ego cras forsan: iste de commisso, aget pænitentiam, ego forte in malo obstinatus perseverabo. Hanc, & tu Detractori oppone medelam, & sic tuam, ac ipsius salvabis animam.

FEria. 3. *Punct. I.* Dictum fuit Servo Evangelico: *Iam non poteris villicare.* Ex quo
S. Nazian. considera, præsens Vitæ nostræ tempus, esse Nundinas, & Mercatum, ubi omnis generis virtutum merces, venum prostant, ex quibus unus quisque qvantum volet, comparare sibi potest. Veniet autem Mortis instans, ubi amplius *jam non poteris villicare*, O! qvantum tunc dolebis, si pretiosum vitæ tuæ tempus, sinè lucro ammissum repereris? *Punct. II.* Hortatur Apostolus: *Dum tempus habemus, operemur bonum.*
ad Gal. 6. Qvia priusquam natus fuisses, nihil boni egisti, postquam mortuus fueris, non amplius in statu merendi eris: Ergo solùm præsens tempus, quamdiu vivis, in laudem Dei, lucrum bonorum, & in Cælestis gloriæ augmentum fructuosè impendere poteris. Væ autem tibi! si è contra, tam salutares horas, & Annos, in otio, vitio, & Dei offensa consummas. *Punct. III.* Considera, qvantô cum studio, ac celeritate à bonis œconomis, sub Autumno colliguntur in Vineis uvæ, in Campo manipuli, in hortis fructus, quia tunc solum collectionis tempus favet. Et quare tu Frater

Reli-

Religiose, dum tibi benè operandi conceditur tempus, in otio torpescis, aut malè illud cum pernicie animæ tuæ impendis? Venies tandem ad extrema, ubi pro emendatione vitæ unum desiderabis diem, pro Confessione peccatorum exoptabis horam, pro eliciendo saltem dolore expetes momentum, nec fortè impetrabis. Ergo dum tibi illud conceditur, impendas salutariter, nè deplores jacturam illius æternaliter.

FEria. 4. *Punct. I.* Tempore quô minimè sperabat, citatur à Domino Servus: *Redde rationem villicationis tuæ.* Cujus infortunio Fratres, summamus cautionem, ita vivendi, & finale tremendum Dei tribunal, semper in memoria habendi, ut vocanti nos Deo ad judicium, de totius vitæ actionibus, parati simus seriam reddere rationem. Consideret unusquisque, an sit ita dispositus? *Punct. II.* Abhorrent passim Scelera homines, propter criminale judicium, & probrosum supplicium: Sed cur non pertimescimus offendere Deum, de cujus ore severè crimina nostra ulciscentis, vidit Joannes prodeuntem *gladium utraque parte acutum.* Si nunc expavescimus brevem in supplicio confusionem, qvantò magis exhorrescere debemus, judicantis Dei Sententiam, ad æternam condemnationem? *Punct. III.* Qvamdiu in hoc mortali sumus corpore, tamdiu juxta Apostolum, ut rei criminum, includimur in carcere: perpende autem, qvanto timore corripitur reus, dum ante januam Carceris severum Judicem, & crudelem observet

Apocal. 1.

Roman. 7.

Carnificem? Quia verô unicuique nostrum inculcat S. Jacobus dicens: *Ecce Judex ante januam assistit.* Ergo dum adhuc tempus habemus, cum lachrymis misericordiam imploremus Dei expectantis, ut postea evadamus severitatem judicantis.

FEria. 5. *Punct. I.* Considera dicente Evan-
Luc: 16. gelio; quod *Laudaverit Dominus Villicum iniquitatis.* Nam hæc est astuta Mundanorum deceptio, quod laudentur impij, & rideantur justi: honoribus cumulantur scelerati, & contemnantur devoti. Sed quid prodest falsô, & adulatoriè laudari, si brevi ad infernum detrudendus, opprobrium patietur sempiternum. Fuge igitur vanas hominum laudes, quem adhuc culpabilis vita, in oculis Dei reddit vituperabilem. *Punct. II.* Homo vanæ gloriæ cupidus, miserè fatigatur, non dormiens torquetur, non manducans, neque bibens conficitur, ut sibi tantum in æstimatione hominum, tumentis laudis conflet bullam: sed eum qvantô sui damnô, audi S, Gregorium dicentem: Qui pro Virtute, quam agit humanos favores quærit, rem maximi meriti, vilissimo pretio vendit, & unde Regnum Cæleste mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis accipit. Vide nè de illorum sis numero. *Punctum. III.* Vana gloria vult esse operationum nostrarum *Domina*, quando illas præcedit; vel *Socia*, in ipsis operibus, vanam complacentiam excitans. Aut saltem *Serva.* in qvantùm peracta subseqvitur opera. Fuge igitur hùnc Vanitatis fumum, nec fungum valentem. Quid enim

enim juvat, quod multi ſuperbè laudentur, ubi non ſunt, ſi crudeliter torqveantur, ubi ſunt.

FEria. 6. *Punct. I.* Conſidera Chriſtum dixiſſe: *Filij hujus ſæculi, prudentiores ſunt Filijs lucis.* Luc: 16. Nam ad conqvirendas opes, ad aſſequendos honores, qvanta incommoda, qvàm induſtriosos impendunt labores? pro obtinenda verò gloria Cæleſti, ut dicit Kempenſis: Vix à multis pes à terra levatur. Prudentius igitur noſtrum impendamus conatum, in asſequendo Regno Cæleſti, quàm in quærendo lucro, ſive honore terreſtri? *Punct. II.* Conſidera in Aulis Regum, Principum, ac cujusvis ſtatûs Dominorum, qvantô ſtudio, ac diligentia Servi, die, & nocte, commoditatis propriæ obliti, nedum mandatum, ſed mentem cupiunt ſui Principalis explere; ut ejus aſſeqvantur gratiam, & mereantur ad altiora promotiones: Ecce nobis Deus offert gratiam, promittit gloriam, & Regnum Cælorum, quô nihil felicius, & tamen licet Servitio ejus per Religioſam Profeſſionem, pluſquam Sæculares obſtricti, obligationes noſtras ſæpè negligimus, aut deſidioſè exeqvimur. *Punct. III.* Conſidera qualem exqvirit induſtriam Mercator, ut ex ſuis mercibus ditior fiat, quales prudentiæ regulas, obſervat Archytectus, ut juxta datum ſibi exemplar conſtruat fabricam. Tu ſolus confundaris Religioſe, quod in Schola Virtutis, & artificio fundandorum bonorum operum, minimam impendas curam.

Sabbatho. Punct. I. Conſidera monitum Chriſti dicentis: *Facite vobis Amicos de Mammona iniquita-*

quitatis. per quod omnes salutarem docuit industriam;ut scilicet ijs,quæ nobis in Mundo sua Divina concessit Providentia, fructuosè utamur, non verò abutamur. Dives enim Mammona opum suarum, comparabit sibi Regnum Cælorum, si easdem in gloriam Dei, & sublevationem egenorum impenderit. Proderunt, & Religioso ad Salutem, si illas propter Deum viriliter contempserit. Fac ergo tibi inde virtutem,unde fit multis occasio ruinæ. *Punctum. II.* S. Augustinus dicit: Divitum est terra, Pauperum est Cælum, date eisdem de vestro, ut illi tribuant vobis de suo. Sicque elargitione elemosynæ de Mammona hujus sæculi, sive præstandis operibus Misericordiæ egenis, conciliamus nobis Amicos, qui nos recipiant in æterna tabernacula. Tu igitur, qui Professione pauper, nummo pauperibus succurrere non vales,compassivo affectu,& Oratione pro ipsis, idem meritum tibi conciliare potes. *Punct. III.* Devota Sanctorum invocatione, & Virtutis ipsorum immitatione facimus nobis coram Deo Amicos, dicente S. Augustino: Populus Christianus, memorias Sanctorum, religiosa solemnitate celebrat, ut excitetur ad immitationem, & ut meritis eorum consocietur, ac Orationibus adjuvetur. Conciliemus ergo nobis Sanctorum Patronorum in Vita gratiam, ut tandem cum ipsis consequi mereamur & gloriam.

§§§§§
§§

DOMI-

DOMINICA IX. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Cùm appropinquaret JESUS Ierusalem. Lucæ.* 19.

Punct. I. Consídera Christi Domini excessum amoris erga miserum genus humanum, qui prævidens futuras Civitatis Jerusalem calamitates, & eversionem: *Flevit super illam.* Toties, & tu infandum Cordi benignissimi Salvatoris renovas dolorem, quoties te conscientiæ tuæ in bono fundatæ, ad malitiosam resolvis eversionem. *Punct. II.* Considera, qvaliter Christus Dominus, nulla necessitate, sed sola charitate trahente, totam vitam suam, in nostram utilitatem impenderit: nam laboravit, ut nobis æternam qvietem compararet; jejunavit, ut nos satiaret, pauper factus est, ut nos ditaret, humiliavit se, ut nos exaltaret, passus denique, & occisus est, ut nos morte sua vivificaret. Vide utrum pro tanto tui amore, odium ei non rependas? *Punct. III.* Si majorem Charitatem nemo habere dicatur, quam ille, qui Animam suam ponit pro Amicis suis. Obstupescens igitur considera, qvantô majori Christus, erga genus humanum flagrabat amore, & charitate, qui pro nobis non amicis, sed infensissimis per peccatũ inimicis, tam crudelia tormenta pati, & mortem ignominiosissimam subire dignatus est.

Feria.

FEria. 2. Punct. I. Josephus Hæbreus Antiqvitatum Judaicarum Chronologus, refert: Sub tempus eversionis Jerosolymæ, fuisse in Sancta Civitate Judæorum, Millionem, & ter centena millia, qui sicuti prævaricatores Legis coram Deo inventi sunt, ita eorum aliqui præ fame mortui sunt, alij occisi, cæteri in captivitatem ducti. Et causam tantæ cladis dat S. Ambrosius dicens: Civitati non nisi propter Civium peccata infertur excidium, desine peccare, & Civitas non peribit. *Punct. II.* Considera, quod postqvam Civitas Jerosolymorum cum suis habitatoribus facta sit prævaricationum Legis Divinæ, & omnium Vitiorum prostibulum, justô Dei judiciô, quantum glorificaverunt se in delicijs, tantum ipsis datum est de tormento. Fuge igitur Socialem vitam in delicto, ut evadas ultricem Dei manum in pœna. *Punct. III.* Si in aliqua Civitate sis habitaturus, de mansione, ut sit commoda, solicitaris: de àere, an sit salutaris, vel temperatus? curiosè inquiris: de Anima autem tua, quales in conversando habiturus sis Socios, non es solicitus. Qui igitur per commodam habitationem, & àerem salubrem, curas sanitatem Corporis temporalem, fuge ut pestem malam Societatem, nè per hanc incurras mortem animæ æternalem.

FEria. 3. Punct. I. Considera, Jerosolymam fatale passam fuisse exitium, quia ea quæ ipsam in pace fundare poterant cognoscere noluit, ac vaticinia, & monitiones Prophetarum contempsit: sicut ipse dixit Christus: *Si*

cogno-

cognovisses, quæ tibi ad pacem sunt. Vide, & tu Religiose, nè ex eò, quod disciplinam, & correctionem Superiorum tuorum negligas, & quæ tibi ad pacem internam prodesse possent, scire non cures, ideoque irreparabilem Animæ tuæ incursurus sis ruinam. *Punct. II.* Pro redintegranda sanitate corporis, sustines patienter, doloriferam dentis extractionem, ferro candenti membrorum adustionem: & tamen cognoscere non vis, quàm tibi sit salutare, ut ab Anima tua, per correctionem Superioris, patiaris tuam vitiosam rescindi inclinationem. *Punct. III.* Selectam ex millibus, permisit Deus sepeliri in cineribus Jerosolymam, quia cognoscere noluit, quæ ad ipsius conducerent pacem. Scire & tu, O! Anima Religiosa, velis, quod *non sit pax impijs.* Sepelieris pro- Isai: 57.
fectò in cineribus æternæ abjectionis, si te incitantes ad bonum, nolueris audire stimulos correctionis.

FEria. 4. *Punct I.* Considera, prænuntiatum fuisse Jerosolymæ: *Circumdabunt te inimici* Luc: 19
tui vallo. Quod & animabus nostris intentant inimici: dum volentes captivas sub sua habere tyrannide, fortissima undique opponunt tentationum obstacula, nè libertate Filiorum Dei gloriemur, Vim igitur ipsorum, vi conatus nostri, cum Dei adjutorio propulsemus, ut non eorum Captivi, sed Patris Cælestis Filij adoptivi nominemur, & simus. *Punct. II. Militia est vita hominis super terram*, eò finè, ut expugnatis inimicis, Mundo, Carne, & Diabolo, Civitatem Sanctam Supernam Jerusalem, in

in hæreditatem æternam obtineamus. Si ergo probè munitæ Arces, ac in sublimi positæ Civitates non nisi cum maxima difficultate expugnantur. Eja ergo, & nos Christi Milites, vim nobismet ipsis, & infernalibus inimicis inferamus, ut Cælestem Civitatem, glorioso Victoriæ trophæo possideamus. *Punct. III.* Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Qui ergo malis inclinationibus impugnaris, ac vitiosis passionibus concitaris: omni vi, labore, & conatu, sub imperium recti judicij, & Legis Divinæ subjuga propensiones tuas, & sic faciendo tibi violentiam, violenter rapies Regnum Cælorum.

S. Gregor.

FEria. 5. Punct. I. Considera, Christum prædixisse Jerosolymæ: *Non relinquent in te lapidem, supra lapidem.* ex quo docemur, quod Sancta illa Civitas, quo fuit pro statu suæ innocentiæ Deo acceptabilior, ita deinde polluta sceleribus, facta est abominabilior. Qui ergo in via virtutis aliquid profecisti, cave nê retrocedens fias Deo execrabilior. *Punct. II.* Dum majus habetur donum Scientiæ, illuminationis, ac perfectionis, majori transgressor subjacet culpæ, & quo qvis altius sapit, eò deterius desipit, dum peccat, nam & turris quo altior, tantô casu gravior, nec tantum prodest stetisse, qvantum nocet cecidisse. Qui ergo in Servitio Dei stas, vide nè lapsu graviori cadas. *Punct. III.* Ruga una magis deformat faciem Principis delicatam, quàm rudis hominis aliundè deformem. In albo colore minima observatur macula, quæ in alio non apparet,

Ita, qui dealbari meruimus in Sangvine Agni per Professionem Religiosam, & sublimari ad tam altum perfectionis gradum, o! qvantum reprehensibiliores in nobis apparent imperfectionum rugæ, & defectuum maculæ, quam in Sæcularibus, qui tantis ad profectum spiritualem, non cumulantur gratijs!

FEria. 6. *Punct.* I. Considera, qvantô zelô Christus *Ejiciebat ementes*, & vendentes de templo Jerosolymitano. In Oratorio enim nefas est aliud agere, nisi ad quod factum est, & undè nomen accepit. Si autem Christus Salvator eijciebat illos è Templo,& Oratorio, qui ibidem non Orabant, sed emebant,ac vendebant; O! quis nostrum quæso remaneret in Religione, & Monasterio, si Christus expelleret, non Religiosè,& Monasticè, sed magis sæculariter ibidem viventes? *Punct. II.* De Religiosis meritò dici potest, quod dixit Propheta de Sacerdotali Tribu Levi: *Deus elegit te, ut sis ei populus peculiaris,& custodias omnia mandata, præcepta,ac cæremonias ejus.* Qui ergo speciali Dei vocatione segregati sumus à Sæcularium turba, væ! nobis,si ferventius,& perfectius illis,in Religione non vivamus.*Punct.III* Vota Religiosa, non sunt media ordinata, ad vivendum vulgariter, & cum commoditate, nec Regulæ ad faciendum,quod placet cum libertate. Jam ergo si aliter in Religione vivas, quam profitearis, non es Servus, sed subsannator Christi,quia aliter facis,imò fugis potius, & solùm fingis, quod vovisti, in ejus Servitio. Cura igitur,ut re ipsa sis quod videris, & nominaris.

S. August.

Deuter.7

Sabba-

Sabbatho. Punct. I. De Christo Salvatore refert Evangelium: *Erat quotidie docens in Templo.* Cujus doceamur exemplo, in benè cæptis constantiam, & finalem maximè curandam perseverantiam: quid enim prodest optimè incæpisse, & malè finivisse? Inchoantibus præmium promittitur, sed solis perseverantibus datur, nam tunc Deo placet nostra conversatio, quando bonum, quod inchoamus, perseveranti fine complemus. Tu verò perpende, quam sis in tuis benè cæptis inconstans, & mutabilis! *Punct. II.* Qvid prodest, quod primo vere, spem jucundam exhibeat arbor in flore, si postea fructum non afferat in æstate? quid juvat ad gloriam, quod primo passu strenuè Miles aggrediatur in conflictu inimicum, si paulò postè prælio turpiter fugiat? ita nihil nobis proderit ad Coronam flos innocentiæ, passionum freqvens pugna, nisi hæc constanter usque ad finem vitæ custodiantur. Siquidem certificat Apostolus; non quod ille qui bene vivere incæpit; *Sed qui perseveraverit in finem, hic Salvus erit. Punct. III.* S. Bernardus his omnes commonet verbis: O! Fratres non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes, quod sola perseverantia informat merita, remunerat currentem, coronat pugnantem, Væ! autem inclamat Propheta, *his qui perdiderunt sustinentiam, & derelinquerunt vias rectas.* Constantes igitur, & perseverantes simus, in ijs, quæ bene, ac virtuosè incæpimus; nè Coronam meritorum nostrorum præripiat alter.

S. Jsidor

Eccles 2

DOMI-

DOMINICA X. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Dixit JESUS ad quosdam, qui in se confidebant. Luc.* 18.

Punctum. I. CONsidera Christum Dominum hodiernâ parabolâ Evangelicâ, improbasse illos: *Qui in se confidebant.* Amor enim proprius, est illa pestis secreta, quâ homo existimans se aliquid esse, cum re ipsa nihil sit, assurgit ad volandum, quamvis neque reptare possit super terram, videt in se illas excellentias, quas in ipso nullus conspicit. In omnibus actibus suis, sine respectu ad Deum, pro objecto honorem, & propriam habet commoditatem. Indeque fit, quod & Deo, & hominibus exosus reddatur. Cave igitur, nè hac peste inficiaris. *Punct. II.* Deus præcepit in Levitico offerri in holocaustum: *Agnum Anniculum sinè macula.* Ut discamus, nullam eidem boni operis placere oblationem, quæ sit infecta, amoris proprij maculâ. Unde si tuo beneplacito, contra voluntatem Superioris, etiam te mortifices, Ores, aut in laboribus desudes, totum hoc perdidisti, si amore proprio infectum Deo obtulisti. *Punct. III.* Non est mirum, quod etiam Diabolus suos habeat Crucifixos, hos enim ipsi fabricat *Amor proprius:* Non enim aliam ob causam cruciatur iracundus, nisi quia contra inimicum, nequit suam exple-

Levit. 9.

explere paſſionem: tabeſcit invidus, quia potius ſe ipſum, quam proximum, vellet habere fortunatum: quare cor dilaniatur luxurioſi! niſi quia ſuam effrænem cupit explere voluptatem. Cuſtodi igitur cor tuum ab amore proprio, nê etiam ita cruciatus, inter Martyres Dæmonis connumereris.

FEria. 2. *Punct. I.* Conſidera, qualiter Chriſtus Dominus arguat illos, qui in ſe confidebant, *tanquam juſti.* Nam aliud eſt apud Deum, aliud in propria opinione eſſe juſtum. Quia in Univerſali Judicio, dicent aliqui: *Nonne Domine in Nomine tuo fecimus virtutes*
Math:25 *multas*, & tamen dicetur illis:: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ita ergo de Virtute tua humiliter ſentias, & eaſdem, ſi omni ex parte ſint perfectæ inſpicias, ut ex ijs, in oculis Dei non reproberis, ſed potius juſtificeris. *Punct. II.* Ut opus aliquod ſit meritorium vitæ æternæ, ex parte Dei reqviritur gratia, & ex parte hominis cooperatio, Sicut ergo ad benè operandum indigemus neceſſariò gratia excitante, cooperante, & Sanctificante, ita Juſtificatio noſtra, primô, & principaliter dependet à gratia. Quid igitur in tua Juſtitia confidere poteris? qui ſola Dei gratia es, ſi juſtus ſis!
1. Co- *Punct. III.* Nulla eſt humana juſtitia, ſinè
rin: 15. Deî miſericordia, quia gratiam dat nobis ex pura ſua liberalitate: quinimò exclamat Auguſtinus: Væ! etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota ſua clementia Deus diſcutiat eam.
Actor:9. Siquidem & ille metuebat, qui *Vas electionis* â Deo meruit appellari. Tutius igitur, ut habens

bens gratiam, peccatorem te profitearis, quam de tua confidens justitia, cum præsumptuosis reproberis.

FEria. 3. *Punct. I.* Considera, quod Christus Dominus arguat illos: *Qui aspernabantur cæteros.* Siquidem prima Lex charitatis est: *Amare Proximum sicut seipsum.* Tu verò qui verbo contumelioso multum læderis, contemptu, & irrisione facilè exacerbaris, vide igitur, ut Legem tantoperè à Christo commendatam adimpleas, *Quod tibi non vis fieri, cave nè alteri feceris.* *Punct. II,* Signaculum, quô Discipuli Christi, à Mancipijs Mundi, & Dæmonis dignoscantur, ipse Cælestis dixit Magister; *In hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis, si ad invicem dilectionem habueritis.* Qui ergo Fratrem tuum exacerbas, & contemnis, quomodo hac dilectione carens, inter Filios Dei, & Christi Discipulos connumerari speras? *Punct. III.* Inveniuntur nonunquam mores aliorum agrestes, inurbani, asperi, defectus corporis naturales monstrosi, & deformes, quos cave nè contempseris, sed exemplo Christi charitativè comporta, qui etiam mores Discipulorum suorum, quos invenerat rudes, idiotas, incultos, & ad discendum tardos, patienter tulit. Augustino enim teste: Nulla re melius Charitas Fraterna probari potest, quàm ex patienti imperfectionum tolerantia. Math. 19

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, qvaliter gloriabatur de suis bonis operibus Pharisæus, quod non fuerit *raptor, adulter, defraudator, sicut cæteri hominum,* & hoc ipso, ore proprio se reum

Superbiæ omnium criminum fontis condemnabat. Non quæramus & nos, sed potius horreamus tales superbas Virtutes, quæ nobis non præmium sed supplicium æternum comparare possunt. *Punct. II.* Postquam Magnus Antonius Abbas, in obstrusis Eremi latebris, Paulum centenarium, austerissimam ducentem vitam reperisset, ad suos reversus Cænobitas dixit: *Væ! mihi peccatori! qui falsi Monachi nomen gero.* Ecce hujus exemplo, si alium apertè videas peccantem, cogita, quod nisi te gratia Dei præservaret, multò gravius committeres scelus: dum verò præcellenti videas fulgentem Virtute, humiliando animam tuam suspira dicens: Væ! mihi peccatori, qui falsi Monachi nomen gero, qvia non sum sicut cæteri Servi Dei, in fervore virtutis proficiens. *Punct. III.* Si denique ad aliquem virtutis, perfectionis, aut honoris, cæteris altius videas te ascendisse gradum, nè multum inde glorieris: *Non sum sicut cæteri.* nam quod præterqùam indè facilè excidere possis, sed etiam in secretis Dei judicijs, nonnè præferebatur laboriosus Alexandriæ Coriarius, contemplativo Anachoretæ. Plus apud Deum meruit, continens in Diversorio Ancilla, quam mortificatus in suo tuguriolo Eremita. Hæc igitur considerans, cui te præsumes præferre: Non sum sicut cæteri hominum!

Rufin. l. 2.

FEria 5. *Punct. I.* Considera, qvaliter glorietur Pharisæus dicens: *Iejuno bis in Sabbatho.* Sed quia id faciebat propter vanam hominum laudem, & falsò sibi conciliandam Sanctitatis famam, ideoque hac dura corporis maceratione,

ne temporali, æternam accumulavit pœnam. Cave nè eundem immitando, bis fias miser, & in tempore carnem affligendo, & in æternitate corpus cum Anima, igni inextingvibili deputando. *Punct. II.* Ut nostra Deo sint accepta Jejunia, præmonet S. Gregorius. Qvod non cibus, sed appetitus, in vitio est, unde lautiores cibos, plerumque sine culpa summimus, & abjectiores, non sine reatu conscientiæ degustamus. Qvi ergo cibos Carnis cum Elia Propheta, in gratia Dei manducamus, cavendum, nè cum Esau, immoderata lenticulæ jejunalis sumptione, hæreditatem Cælestem amittamus. *Punct. III.* Ad præcavendam in jejunio Vanam gloriam, & lucrandum maximum meritum, svadet S. Salesius, ut non solum in Mensa patienter, quod apponitur summas, cum intentione non quærendi voluptatem, sed sublevandi pro Servitio Dei corporis necessitatem: verùm etiam eô ordine quo datur comedas, sive sapiat, sive non, per hoc, non solum gustui, sed etiam electioni renuntias, nulli tamen noces, vanam gloriam effugis, & in vita Civili à nullo notaris. Longè itaque perfectior est, talis discreta Mortificatio, quam dura ultra vires carnis maceratio.

Feria. 6. Punct. I. Considera, Oraculum Christi Evangelicum infallibile: *Qui se exaltat, humiliabitur.* Ex quo nostra compescenda Superbia. Nam superbire, est idem, quod supra naturam hominis ire: qui cum sit tam origine, quam resolutione naturæ terrestris, terræ autem propter naturalem gravitatem, est

connaturale descendere, non verô ascendere. Unde ô! homo, si per Superbiam ascendere cupias, propriæ tuæ originis, naturam mutas. *Punct. II.* De luto, & limo formavit Deus hominem, ad imaginem suam: ut si fortè aliqvando, imaginis suæ celsitas nos extolleret, lutum, & limus terræ, ex qua formati sumus, nostram Superbiam deprimeret. Hæc igitur in te ipso considerans, non quæras, sed habeas maximum contra Superbiam remedium. *Punctum III.* In Area, supra granum tritici extollitur palea, non quia dignior, sed quia levior; ita Superbus, cupit supra humilem extolli, non ob veram Virtutem, sed ob vanæ ostentationis levitatem. Dum ergo Superbiæ jactaris turbine, memor originis tuæ, quod sis lutum, ama latere, & humiliari in Cella.

Sabbatho. Punct. I. Considera certam Christi Domini sponsionem: *Qui se humiliat exaltabitur.* Nam sicuti Sagitta, quo magis attractu depressa, tantò altius vibratur: & statera una parte depressa, altera elevatur: ita in statera Divinæ justitiæ, quô te profundius in vita præsenti humiliaveris, tantô magis in futura apud Deum exaltaberis, ubi Meritum humilitatis præcedentis, est statera Coronæ, & gloriæ subseqventis, quam cuique reddet in illa die *justus Judex.* Reflectas igitur conscientiam tuam, qvantum in hac Virtute proficias? *Punct. II.* Magna est hæc Dei erga nos gratia, quod fastigium gloriæ nostræ à mensura humilitatis summere decreverit, non enim omnes ascendere possumus, non grandia pro Deo præ-
stare,

ſtare, nec aliquid magni pro ejus gloria facere valemus, ſed nullus eſt, qui ſe humiliare, & deprimere non poſſit. Non poſſumus jejunare, ſemper Orare, aut in rigidis mortificationibus perſiſtere, poſſumus tamen ſemper nos humiliare. O! humilitas, via brevis, & facillima, ad maximam pertingendi Sanctitatem, qui ergo Profeſſione ſumus Minores, ne quæſo ambitione in hoc ſæculo, quæramus eſſe majores. *Punct. III.* Sanctus Patriarcha noſter Franciſcus, quia ſe ob eximiam humilitatem omnium Creaturarum viliſſimum reputans, ſub pedibus omnium proſternebat, hanc ob cauſam ad altiſſimam Seraphinorum Hierarchiam ſublimari meruit. Unde etiam pro tua eruditione concludit S. Aqvinas dicens: Si vis in gloria ſublimari, diſcas prius in terra humiliari. S Bonav

DOMINICA XI. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Exiens JESUS de finibus Tyri, venit per &c. Marc. 7.*

Punctum I. HOdiernum refert Evangelium, qvaliter Chriſtus Dominus, Surdum, & mutum ſanaverit, ex quo conſidera, quod licet magnus ſit in homine defectus Surditas ſenſualis, quia privat hominem auditu ſonitus, cantus, & Symphoniæ oblectabilis, ac in conſortio ſociali cujusvis diſcurſus amicabilis; longè tamen pejor eſt Surditas animæ ſpiritualis, dum ad voces, & inſtinctus gratiæ

Divinæ obſurdeſcimus. Inſpice ſeriò conſcientiam tuam, utrum hac infirmitate non labores? *Punct. II.* Per Prophetam ſuum dicit
Prover. 1. Dominus: *Quia vocavi te, & renuiſti, ego quoque ridebo in interitu tuo.* Niſi enim Magdalena Chriſti verba audiviſſet: niſi Auguſtinus Prædicationes Ambroſij freqventaſſet, niſi plurimi Servi, & Servæ Dei exhortationibus externis, aut inſtinctibus internis correſpondiſſent, nunquam gratiam, & gloriam, quâ fruuntur obtinuiſſent. Ora igitur cum Samuele: *Loquere*
1. Reg. 3 *Domine, quia audit Servus tuus. Punct. III.* Funebrale abſolventes Officium Clerici pro defuncto, qui nunquam Prædicationis verbum
Pſalm. 27. audire voluit, ad textum Pſalmi: *Domine exaudi vocem deprecationis meæ.* cum magno fragore obturantem ſibi Crucifixum aures, & dicentèm audiverunt: *Quia non audivit, non audiam.* Cujus exemplo expaveſce! nè ad voces, & inſtinctus, invitantis te Dei ad pænitentiam, ſurdus manens auditor, ipſe tandem in tuo mortuali *Miſerere*: non amplius Miſericordiam à Chriſto obtinere merearis.

FEria. 2. Punct. I. Conſidera, quod ille Surdus pro ſanatione ad Chriſtum adductus, ſimul fuerit Mutus, qui in homine moleſtus eſt defectus, dum cum alijs loqvi non poſſit, ubi enim cæteri, Cantu, Prædicatione, facundia Sermonis, in congreſſibus, Judicijs, aut publicis Commitijs ad admirationem loqvuntur, & ſibi laudem conciliant, Mutus autem hoc beneficio privatur. Sed gravior tua infelicitas, dum te mutum facis, nolens loqui pro gloria

ria Dei, & ſpirituali Proximorum utilitate. Nonne & tu talis es? *Punct. II.* S. Bernardus exaggerat dicens: Canis latrat pro cuſtodia domus Domini ſui, & tu pro gloria Dei tui obmuteſcis. Unde & Propheta talibus comminatur dicens: *Væ! vobis Canes muti.* Nè igitur obmuteſcas, ubi pro gloria Dei, ſive cantu, ſive Prædicatione, ſive charitativa Proximi admonitione, ſtudium, & vires tuas impendere poſſis. *Punct. III.* Grave hominis ſcelus, dum in conſpectu Dei ſui peccare non erubeſcit: ſed aggravat magis iniqvitatem, dum in eadem confitenda, ſacrilegè obmuteſcit: Ora igitur Dominum, ut ſolvat muta labia tua ad ſincere, & non palliatè confitendum, qui non errubuiſti laxare fræna ad liberè peccandum.

FEria. 3. *Punct. I.* Conſidera, qvaliter Chriſtus Dominus, ſanaturus infirmum, *eduxit de turba ſeorſum.* Ut diſcamus, quod illam Dei gratiam, quam in publico populi tumultu ſæpè amittimus, non niſi ſeorſim ſeparati, in privata Religioſæ qvietis Cellula, faciliori ad compunctionem opportunitate recuperemus. Confundaris hic Religioſe, qui plus Sæculi tumultu, quam privata religioſæ qvietis ſolitudine oblectaris. *Punct. II.* S. Dionyſius Carthuſianus ſeparationis à turba hujus Infirmi dat cauſam dicens. In hoc datur intelligi, quod eos, quos Deus à vitijs curat, opportet prava vitare conſortia, atque communi hominum, per latam perditionis viam ambulantium, converſatione diſcedere. Qvi igitur ſalutem, & ſanitatem Animæ tuæ quæris, Oraturus

turus Cælestem Medicum, necesse est, ut à turba seqvestreris. *Punct. III.* Qvod candelæ est,
Kempen: Lucerna, id Religioso est Cella, sicut enim candela citò à vento extingvitur, quæ tutò in lucerna servatur. Sic fervor devotionis in secreto cubiculi, tutius servatur, aut facilius reaccenditur, qui inter tumultuantes sæculi turbines, consvetò extingvitur. Signum igitur est, quod non velis fervore devotionis ardere, qui fugis, & tædio afficeris in Cella latere.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, quod Christus Dominus, priusquam sanasset mutum! *Suspiciens in Cælum ingemuit.* Qvia ut dicit Sylveira, prænoscebat Dominus, qvantum malum sit hominis lingva, qvantumque saluti ejus nociva. Tu igitur nè incurras salutis periculum, tene in fræno lingvam tuam, Oresque
Psal: 38. humiliter cum Propheta: *Pone Domine custodiam ori meo, ut non delinquam in lingva mea.* *Punct. II.* Tabe, & ulceribus consumpto toto
Job: 19. Jobi corpore, Infernalis Tentator, solummodo lingvam, & labia ejus reliqvit integra, tanquam faciliora offensæ Divinæ instrumenta, ut per hæc fortè ob cordis simplicitatem proferet labijs blasphemiam. Ecce lingvam solam tentator reservat, quia per hanc facillimè etiam ex Servis Dei lucrum reportat.
S. Hieron: *Punct. III.* In Vita S. Dominici legitur: quod cum Religiosus quidam adjurasset Dæmonem, omnes Officinas Conventus circumeuntem, ut verum dicat, quônam locô sibi plus complaceret? Locutorium ostendit dicens: Qvod alibi perdo, hic per dissolutos Religiosorum discur-

ſcurſus lucror. In omni igitur angulo, & cum alijs diſcurſu, ita cautè noſtram cuſtodiamus lingvam, ut per hanc, meritum nobis coram Deo, non verò Dæmoni lucrum cumulemus.

FEria. 5. *Punct. I.* In ſanatione Muti, Chriſtus Dominus: *Expuens tetigit lingvam ejus.* Ex quo conſidera, quod ſicut paſſim, ob abominationem ſputum eijcimus, ita Clementiſſimus Salvator, hoc facto edocebat Infirmum, ut reſtituta ſibi loqvela, ita cautè, caſtè, & prudenter loqveretur, nè odibilis & abominabilis Deo per turpiloqvium redderetur. Sint & tui tales diſcurſus, quales tibi Sancta præſcribit Regula: ut *ſcilicet ſimus omnibus honeſtè loquentes ſicut decet.* *Punct. II.* Epheſiòs hortabatur Apoſtolus: *Turpitudo, ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, nec nominetur in vobis.* qvantò magis diſcurſus Religioſi debent eſſe honeſti, & caſti, qui enim os noſtrum conſecravimus Evangelio, nefas eſt, profanare illud turpiloquio: illa enim quæ in ore Sæcularium ſunt nugæ, in ore Sacerdotum, & vel maximè Religioſorum ſunt blaſphemiæ. *Punct. III.* S. Aqvinas audenter affirmat dicens: Per lingvam omnia facinora conſumantur, ut carnalitates; aut patrantur, ut perjuria & falſa teſtimonia; aut defenduntur, ut cum impius excuſat malum quod fecit, aut ſimulat bonum quod non fecit. Sicut igitur uſu Lingvæ multa bona efficere poteris, ita cave nè eadem ad ſermones noxios abutaris.

Epheſ. 5

S. Bern:

Feria.

FEria. 6. *Punct. I.* Confidera, qvaliter ad impositionem manuum Christi, *Apertæ sunt aures* Surdi Evangelici, cujus occasione, magnum Dei beneficium, & in te adora, quod te condiderit, & donaverit perfecto sensu Auditus, quô mediante ad solatium temporale, & profectum Spiritualem, tot salutares audire possis exhortationes. Vide tamen, nè potius prurientibus auribus, ad inannes fabulas, libentius convertaris? *Punct. II.* Dissolutus in omne nefas Populus Israeliticus, ad salutares Prophetarum commonitiones, suas obturabat

Isai: 30. aures, dicendo: *Loquimini nobis placentia.* Ita non es, ex electis Dei Servis, qui tibi, non in Verbo Dei, sed in vanis, ac frivolis magis complaces facetijs. *Punct. III.* De Atheniensibus proverbiô dicebatur: quod *ad nihil aliud*

Actor: 17 *vacabant, nisi ut dicerent, aut aliquid novi audirent.* Religioso tamen inconveniens est, ut inter clangores Ecclesiasticos, plus occupetur rumoribus, & novalibus profanis, qvàm laudibus Divinis, magis placeat, prolixa de Bello expugnatione Civitatum, ac Regnorum narratio, quàm aliqvantum longius protracta Meditatio. Tibi ergo Religiose, talis placeat discursus, quô tu ipse Deo placere possis.

Sabbatho. Punct. I. Considera, qvaliter Christus Dominus sanando, miraculosè *Surdum, & mutum*, præcepit, nê cui diceret: quô factô nos erudire voluit, nè ex operibus nostris, qvantumvis præcellentibus vanè gloriemur, cùm in benefactis, ipse Deus, omnia operetur in nobis, & nos vilissimum tantum operum ejus,

instru-

instrumentum sumus. Ergo miser homo, si quid Deus per te boni operatus est, quid inde gloriaris? *Punct. II* Sæpè Deus gratias gratis datas confert reprobis peccatoribus, ut donum Prophetiæ Sauli, ac Caiphæ, virtutem patrandi Miracula Judæ: qvas non concedit suis electis Servis; uti Joannes Baptista, nullum legitur fecisse miraculum. Vide igitur, quod etsi miracula faceres, adhuc inde gloriari non posses, quia hoc non tuum beneplacitum, sed solius Dei esset donum, qui non pro dignitate, sed pro sua voluntate, ad similia patranda assumit justos, sive etiam peccatores. *Punct. III.* Assumpsit te Deus ad opus Ministerij sui, ut gloriam ipsius promoveas, in Prædicatione Lectura, œconomiæ, & fabricæ structura, si qvid inde laudis tuæ, volet per oras, nè dixeris cum insipienti Israelita: *Manus nostra fecit hæc excelsa.* sed potius justè profitearis cum Psalmista: *Dextera Domini fecit Virtutem.* Qvia non tu, sed per te Deus magnificat gloriam suam. Deuter: 57. Psal 117

DOMINICA XII. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Luc. 10.*

Punctum. I. CHristus Dominus dixit Apostolis: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* ex quo considera, quod sicut oculo corporali videmus objecta materialia, ita solo mentis oculo, possumus intueri Spi-

Spiritualia. Cum autem dona,& bona ſpiritualia toto ordine perfectionis, excellant corporalia, ita Beati erunt oculi noſtri, ſi neglectis objectis materialibus, oculos mentis noſtræ ad intuenda Objecta ſpiritualia converterimus. *Punct. II.* Chriſtus Beatos dixit Apoſtolorum oculos, quia præter externam ſpeciem, etiam oculis mentis, ejus intuebantur Divinitatem, ſicut confitebatur Petrus:
Math:16 *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* quod carnalibus oculis Phariſæi in Chriſto videre non poterant. Ita Beati erunt oculi mentis noſtræ, dum præter externam rerum ſpeciem, in omnibus Creaturis, ipſum intueamur Creatorem. Neqvam verò eſt oculus ille, ſi è contra ſpiritualiter cæcutiens, ſolo creaturarum materiali oblectetur aſpectu. *Punct. III.* S. Bonaventura ad Menſam Ludovici XI. Francorum Regis invitatus, qvamvis pro conditione ſtatus, ex adverſo ſedens Reginæ, ejus aſpiciebat venuſtatem, oculo tamen mentis, Dei contemplabatur pulchritudinem, inferendo: quod si Creaturæ paulò poſt in cinerem, & vermes rediture, tantam contulerit venuſtatem, qvantò infinities ipſe Creator pulchrior eſſe debet? Ita & tu Religioſe, ſuppreſſa oculi corporei palpebra, leva oculos mentis tuæ, & conſidera, quam magnus, & laudabilis ſit Creator in Creaturis, & Salvator in cura tuæ Salutis.

FEria. 2. *Punct. I.* Chriſtus Dominus dicebat ad Apoſtolos: *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt audire, quæ vos auditis, & non audierunt,* cujus

jus exhortatio, & noſtra pulſet corda, ſeriòque conſideremus, qvàm multæ gentes, & populi cæcutiant in ſua ruditate, per deſerta, pagos, & loca ab Eccleſijs remota; qui ſi haberent facilitatem doctrinas Spirituales audiendi, ferventer Deo ſervirent. Tu autem, qui non ſolùm continuò audis, ſed etiam ad bonum, à Superiore, duris cogeris compulſibus; Qvam ſtrictam Deo reddes rationem ſi his non correſpondeas? *Punct. II.* Qvantò qvis majus gemmæ cognoſcit pretium, tantò eam cuſtodit diligentius: qvantò noverit infirmus medicinam ſibi plus conducibilem, tantò promptius eandem ſummit. Qvid oro in Religione ſunt Spirituales doctrinæ? quam gemmæ pretioſæ, animas ditantes: Medicinæ Spirituales, noſtros defectus ſanantes, Qvam ergo felices eritis, ſi hæc vobis fructuoſè applicaveritis? *Punct. III.* In Veteri Lege ut dicit Apoſtolus: *Loquebatur Deus Patribus in Prophetis, jam verò novissimè diebus iſtis, locutus eſt nobis in Filio.* Hebr. 1. Lex illa fuit dura, & Servitutis, Lex verò præſens Evangelica, eſt Lex gratiæ, & Filiationis, dum ergo voce Patris delapſa commonemur de nube: quod Chriſtus Salvator, ſit novæ Legis inſtitutor, dum nobis conſtat, quod ſit Regulæ Minoriticæ dictator. Hunc ergo, O! Fratres audite, & Præcepta Regulæ Veſtræ diligenter obſervate.

FEria. 3. *Punct. I.* Conſidera, magnum præſumptionis fuiſſe auſum: dum *Legis peritus ſurrexit tentans Chriſtum.* Cujus temeritatem quis non miretur? quod miſer homo, illi qui ſcru-

scrutator est cordium, aliud explicare verbis, & corde aliud sentire præsumpserit. Toties & nos impia temeritate Deum tentamus, quoties verbotenus Sancta facimus proposita, cor tamen Mundo,& carni affixum tenemus. *Punct. II.* Habens tutissimè provisam Cymbam, rapidum trajciendi flumen, si tamen hac contempta, ruptum conscenderes asserem: aut manutenendo curandi tui morbi, efficacem Medicinam, tu tamen potius summere velles mortiferum venenum, quam desperata foret temeritas? Ecce hoc facimus in Religione, dum tam tutissima salutis conseqvendæ habentes media, his tamen neglectis, præsumptuosè Deum tentamus, ubi per inobservantiam Votorum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ salvandos tamen nos speramus. *Punct. III.* Tu qui in Ordine Minoritico, altissimæ Professionis voto, obligatoriè supra cæteros in Ecclesiâ Dei Ordines sublimatus es, dum te voluntariè, per inobservantiam eorundem, ad infernum ultroneè præcipitas, salutem tamen Animæ expectas, quid aliud agis, quam Deum præsumptuosè tentas. Non tentabis igitur Dominum Deum tuum, ut malè vivendo, mori benè speres.

FEria. 4. Punct. I. Considera, quam solicitè Christum, interroget Legisperitus: *Quid faciendo Vitam æternam possidebo?* Qvia Salutis negotium, unicum debet esse, solicitudinum nostrarum objectum: negligentia in omnibus alijs negotijs, excusabilis esse potest, sed in hoc solo, ubi de salute agitur, veniam non

mere-

meretur. *Quid enim prodest homini, & si Mundum universum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiatur?* dixit ipse Christus. Vide ergo quonam studio hoc negotium tractes? Math.16

Punct. II. Martha solicita erat circa præstandum freqventer Christo, & Apostolis ministerium, attamen monetur à Cælesti Magistro: *Porro unum est tibi necessarium.* Scilicet Salutis conseqvendæ punctum. Ita & tibi ô! Religiose, non est necessarium ut sis Prælatus, Lector, Doctor, aut alijs præeminens, sed ut Salutem æternam omninò asseqvaris, nam si omnes Mundi felicitates possideas, animam verò tuam perdas, omnia perdidisti: si verò hanc salves, omnia salva habebis. Luc. 10.

Punct. III. Infirmus ille non vult sincerè sanari, qui Medicinas, non quæ sanitati conducunt, sed tantum quæ suo gustui sapiunt summit: ita signum est, quod non sincerè salutem animæ tuæ, præ omnibus alijs quæras negotijs, qui salutares tibi respuis acrimonias, & solum dulcia, sed nociva amplecteris blandimenta. Audi potius, & immiteris resolutionem Sancti Præsulis Jgnatij dicentis: Ignis, crux, bestiæ, membrorum divisio, & omnia tormenta Diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar.

FEria. 5. Punct. I. Considera primum, & maximum esse Legis Præceptum; ut *Diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis.* ex toto corde, nè scilicet minimam partem cordis nostri, alterius amore profanemus. Diligendus *ex tota Anima*, ut omnes potentias animæ in ejus amo-

amorem impendamus: *Ex omnibus viribus*, ut scilicet, quid quid virium, ac facultatum, tam internarum, quam externarum est, ipsius amori consecremus. Sed fortè majori studio, & graviori cum fatigio, exqvirimus modos, plus Creaturis, quam ipsi Creatori placendi. *Punct.* II.
Levit. 10 Deus ultrici de Cælo igne Nadab, & Abiu absumpsit, eô quod ignem alienum, & non Sanctum in Sacrificijs adhibere præsumpsissent. Nos qui per Religiosam Professionem Altare cordis nostri consecravimus Deo, qvantò magis timere debemus, si in eodem non Sanctum amoris Dei ignem, sed incendia profana foveamus? *Punct.* III. Si Rex aliqvis, abjectissimæ sortis præciperet Mendico, ut ipsum ex toto corde amet: nonnè hæc obligatio omnibus admirationi foret, & pauperi illi in oculis omnium singularem conciliaret æstimationem, spemque faceret indubiam, quod certò à Rege ametur, & proximè ditandus expectetur. Ecce hoc Rex Regum, & Dominus Dominantium nobiscum facit, præcipiens ut ipsum ex toto corde diligamus, quia ipse prior dilexit nos, ipse nos in filios adoptat, ipse Cælestem hæreditatem donat, ipse omnia bona, & dona tam naturæ, quam gratiæ, & gloriæ in nos abundatissimè diffundit. Qvis ergo nostrum cor suum totaliter ipsius Divino non sacrabit amori?

FEria. 6. *Punct.* I. Considera excessum Amoris Divini, erga hominem, qui cum primum præscripsisset Mandatum, ut ipsum diligamus, secundum immediatè subjunxit: *Diliges Proximum*

ximum tuum, ficut te ipſum. Neque ſcognoſcit ſe à nobis pro Amato, niſi ſimul propter ipſum Proximos noſtros amemus, dicente Apoſtolo: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & Fratrem ſuum odit, mendax eſt.* Joan.4 Cave igitur nè odio Proximi, odium Dei incurras. *Punct. II.* Lignum, vel lapidem, quamvis de ſe nihili facimus, imò ſæpe etiam ad loca viliſſima projicimus, ſi tamen ex illis efficiat Artifex Statuam, vel effigiem Chriſti, mox illam debito cultu adoramus, & veneramur: Ita quamvis homo origine creationis, ſit vilis terræ pulvis, oculis tuis ſæpe moleſtus, aut durus offendiculo lapis. Sed quia ad Imaginem Dei formatus, quia unicè à Deo adamatus, quia ſpeciali præcepto, mutuæ dilectioni commendatus. Igitur grande nefas committis, dum te ab amore Proximi ſubtrahis. *Punct. III.* S. Aqvinas duplicem diſtingvit Proximi amorem: Ordinatum ſcilicet, qua hominem diligimus propter ejus excellentiam, qua eſt imago Dei, & creatus ad conſequendum finem ſupernaturalem felicitatis æternæ. Inordinatus verò, dum hominem diligimus, propter exteriorem ejus ſpeciem, quia pulcher, affabilis, & nobis utilis eſt. Et hoc modo non Proximum, ſed nos ipſos in Proximo diligimus. Noſter itaque Proximus, eſt omnis homo, dicente S. Auguſtino: Nihil tam Proximum, quam homo & homo: Ergo propter Deum omnis homo ſincera charitate diligendus.

Sabbatho. Punct. I. Chriſtus Dominus in hiſtoria Evangelica, deprædicat charitatem illius

Samaritani, qui videns jacentem in via vulneribus sauciatum, *Alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & Vinum*. Ex quo considera, opus esse, maximè Deo gratum, & nobis plurimùm salutare, dum Proximis nostris, propter ipsum præstamus charitatem. Spondente Christo: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur*. Habesne cor ad hanc virtutem propensum? *Punct. II.* S. Augustinus dicit: Væ! etiam laudabili hominum Vitæ, si remotâ Dei misericordiâ judicetur. Sicut ergo magni peccatores, magna Dei misericordia indigemus, ita hanc nobis securius conciliare non possumus, quam si ipsimet, erga Proximos nostros Misericordes simus. *Punct. III.* Maximi coram Deo meriti æstimatur opus Misericordiæ, ubi non tam corporis, brevi morituri, quàm Animæ in æternum victuræ sublevatur necessitas. Cui igitur ex Officio competit, pro vulneris qvalitate: infunde vinum acredinis, seriò corripiens protervorum defectus: aut superfunde Oleum lenitatis, ex fragilitate lapsis compatiendo, & verè misericors in Proximos Samaritanus, a Christo in finali judicio deprædicaberis.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Dum iret JESUS in Jerusalem, transibat per &c. Luc. 17.*

Punctum. I. CONsidera, qvaliter decem Viri lepro-

leprosi; hac abominabili laborantes infirmitate, pro obtinenda sanitate, humili conclamaverint prece: *JESU Præceptor miserere nostri.* Qvodlibet peccatum, Animæ lepra est, undê si eadem te infectum senseris, qvantocyus, pro sanatione tui, clama ad Cælestem Medicum: *JESU miserere mei.* Sed tu fortè è contra, magis tibi complaces in tuis defectibus, quàm ut eorum cures sanationem. *Punctum. II.* Homo sanus, omnibus sensibus, & viribus suis, utitur liberè, pro sui, & Proximorum commodo: Infirmus verô, jacens destitutis viribus, ab alijs sublevari debet. Ita peccato obnoxius, non tam propriam quam Dæmonis, cogitur explere voluntatem: *Non quod volo ago, sed quod nolo facio.* licet jam justificatus, lamentabatur de relictis ex peccato inclinationibus Paulus Apostolus, Cave igitur, nè & tu ejusmodi graveris infirmitate. *Punct. III.* Infirmus, qvantumvis exqvisitissimos nauseat Cibos: aut sumptos Stomachus malè dispositus, cito eijcit: dulcia videntur amara: exqvisitus non sentitur odor: neque svavis oblectat sonus: Ita Animæ peccato infectæ, non solùm verba Christi, sed & ipse in Sacramento non sapit Christus, Salutaria monita, nauseam pariunt; svaves Orationes, sive Meditationes, redduntur amaræ, O! infelix infirmitas, quæ talem patientem, ad infelicem disponis Mortem.

Roman. 7.

FEria. 2. *Punct. I.* Considera, quam solicitè Leprosi Evangelici exoraverint à Christo Domino sui emundationem? quia homines le-

pra infecti, ex præscripto Legis, à consortio cæterorum repellebantur. Ea est, & peccati sors infelicissima, quod Spirituali lepra infecti, priventur Sanctorum Communione, & meritorum participatione, redduntur indigni Angelorum, ac Beatorum consortio, sed deplorabili Dæmonum, ac Damnatorum adscribuntur numero. Inspice igitur conscientiam tuam, quibus nam annumereris? *Punct. II.* Leprosi segregabantur in Lege Veteri, à consortio populi Israelitici, donec mundarentur, sed longe infelicior est lepra peccati, nam hac infecti, non ad tempus, sed æternaliter in finali Judicio, ministerio Angelorum, segregabuntur de medio Justorum, & detrudentur in ignem tartareum, perpetuò cruciandi. Curre igitur, & clama post Christum, dum tempus habes, ut à lepra peccati, tantò animæ nociva munderis. *Punct. III.* Lepra est vitium coloris, quia in oculis hominum tam abominabilis, quod à nullo sinê nausea aspici possit. Sed longê intolerabilior est lepra peccati, nam Deo, & Cælitibus animas nostras, reddit abominabiles, licet tam carô Sangvine Christi redemptas. Qvi ergo caves infectionem corporis, multo magis custodi Animam tuam ab infectione perniciosa peccati.

Levit. 13.

S. August:

FEria. 3. *Punct. I.* Considera, quod Leprosi mundationem sui exorantes: *Levaverunt vocem clamantes post Christum.* Qvorum exemplo, pietatem & diligentiam in cantu Chorali æmulemur. Sicut enim qui cantat, bis orat, ita ut Oratio nostra, magis grata Deo reddatur,

tur, ipso Propheta monente; non voce supressa, non ingrato murmure, sed sonoro, & unanimi pectore: *Cantate Domino, & psallite ei in vociferatione.* *Punct. II.* Commonebat primævos Christianos Paulus Apostolus dicens: *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobis metipsis, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Spiritualibus, canentes, & psallentes Domino.* Sicut ergo nos Religiosi, à communi plebe potiori titulo segregati sumus in sortem Ministerij Laudis Divinæ, ita dum cæteri Fideles, devote in Ecclesia orant, nos opportet, ut non solùm melodia vocis, sed etiam consonantia absorptæ mentis in Deum, laudes ipsius decantemus. *Punct. III.* Christus Dominus in Revelationibus S. Brigittæ dixit de quibusdam Religiosis: Qvamvis propter malitiam eorum, non teneor eis præstare misericordiam, attamen propter preces Matris meæ, & propter dona offerentium, patior eos: nam suis Prædicationibus, & Cantu, alios excitant ad devotionem, & profectum spiritualem. Vide igitur quàm sit Deo placens Cantus Religiosorum Choralis, in quo sis assiduus, & diligens hic in terris, ut tandem Angelorum Choris, annumerari merearis in Cælis.

Psal. 32
Ephes. 5

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, quod Christus Dominus mundando Leprosos, remiserit ad Sacerdotes dicens: *Ite ostendite vos Sacerdotibus.* quorum curatione, nostras Animæ infirmitates sanare docuit, ut postquam nos lepra peccati infectos senserimus, non aliter nostri curationem, quàm per Sacramentalem coram

Sacerdote, facti detestationem nos consecuturos speremus. *Punct. II.* Considera, effusam Dei erga peccatores in Sacramento Pœnitentiæ largitatem, & misericordiam, ubi innocentes evadimus, quamprimùm nos culpæ reos agnoscimus, & à Deo absolvi meremur, dum nos ipsos condemnamus: quis autem de crimine læsæ Majestatis reus, gratiam spernat, si ad eandem sibi conciliandam, solùm crimen suum fateri sufficeret? Ecce hoc nobis læsa Majestas infinita præstat, quoties seriò facti pænitentes, Sacramentaliter nostras retractamus culpas. *Punct. III.* Nihil existimas facilius, quam ad pedes Confessarij dolendo dicere: *Pater peccavi.* Sed ut à peccatis absolvaris, per firmum præterea propositum disrumpere omnes ad peccandùm affectiones obligaris: defectu cujus firmi, ac serij propositi, plurimi damnantur, quamvis freqventer confiteantur. Tu igitur seriò discute Conscientiam tuam, nè tam facile ad delenda peccata, Sacramentalis absolutionis remedium, propria culpa, efficias tibi æternæ damnationis exitium.

FEria. 5. Punct. I. Considera, Christum Dominum *decem Viros à lepra mundasse*, attamen: *Unus solum regressus magnificavit Deum.* Ita profectò & nos omnes, qui in Religione sumus, mundavit Deus à lepra sordium Mundanarum, instinctibus, & instructionibus spiritualibus apperuit nobis oculos, ut videamus, quæ nobis salutaria, & quæ damnabilia sunt: sustentat nos gratijs, nè in malum corruamus,

aut

aut corruentes excitat, ut resurgamus. Sed fortè pauci inveniuntur, qui tantorum bonorum largitori, justas rependant grates. *Punct. II.* S. Thomas Apostolus postquam in Corpore Christi Sanctissima palpasset Vulnera, exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Cujus affectum ita eruditus deprædicat Sylveira: Thomas Spiritu Sancto repletus, quamvis Vulnera Christi, omnium saluti proficua recognoscat, ita se tamen gratum fatetur, ac si eadem pro ipso solo Christus passus fuisset. Hanc igitur Apostolicam immitemur Confessionem, ut etiam alijs impertita à Deo beneficia, nostra singulari magnificemus gratitudine. *Punct. III.* Beneficiorum Dei freqvens recordatio, est efficax hominis à peccatis præservatio, dicente Augustino: Certum est Fratres Charissimi, quod si semper Beneficia Dei, quæ nobis nullis præcedentibus meritis nostris collata sunt, assiduè cogitaremus, nunquam ad peccandum nos resolveremus. Simus igitur semper memores, tantorum Dei Beneficiorum, ut à peccatis præservemur, & eò amplius in spirituali profectu radicemur.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera, qvaliter Christus Dominus, unum solum videns, ex mundatis à lepra, sibi gratias referentem, interrogat: *Et novem ubi sunt?* grande enim vitium *Ingratitudo*, dum aut accepti beneficij, cito obliviscimur, aut quod pejus est, mala pro bonis amicis reddimus. Sis igitur gratus pro acceptis beneficijs, à quo illa recipis, qui præcepto Christi, etiam Inimicos diligere obligaris. Luc. 17.

ris. *Punct. II.* Justinianus Imperator ob suam ingratitudinem, toti Imperio exosus factus, quod Bellizario Duci oculos errui mandasset, qui pauló ante plura Regna Imperio subjugaverat. Ita Deo, & hominibus exosus fies, si gratiam tuo largitori, mutua non rependas gratitudine. *Punct. III.* Si præstita sibi beneficia, gratitudine, ipsa irrationalia rependebant Animalia: homines execrantur ingratos: qvantò magis abominabiles reddimur Deo, à quo cuncta per singula momenta participamus beneficia, dum eidem locò gratitudinis, graves inferimus offensas? Cave nè idem facias.

Sabbatho. Punct. I. Considera, qvaliter Christus Dominus procumbentem ad pedes suos, benigna sublevet monitione dicens: *Surge, & vade.* Hoc enim & nos facere opportet, ut postquam à lapsu peccati per pœnitentiam surreximus, non torpescamus in otio, sed illicò vadamus, & in via Virtutis supplere studeamus, quod malitiosa retrocessiône intermisimus. Vide si hanc supplere studeas animæ tuæ jacturam? *Punct. II.* Viator habens magnum festinandi negotium, si casu itinerando obdormiat, aut frivolè occupetur in Diversorio, qvanta indè egressus, festinat celeritate, ut intermissas suo cursu, suppleat horas? Ecce Fratres in præsenti vita, quasi in via sumus, quâ ad Patriam pergimus, & quidem ad hocce felix braviùm, unus alterum præcurrit: Qui ergo peccato sopitus, aut Mundana svavitate occupatus, profectûs tui spiritualis interru-
pisti

pisti cursum, o! qvanto fervore curare debes, ut redux in viam salutis, intermissas compenses horas. *Punct. III.* Omne præsentis vitæ instans, singulari Dei beneficio conceditur nobis, ut intra hoc vitam æternam mereamur, cùm autem sæpè plus temporis in jocis, lusibus, somnolentijs, & varijs impendamus confabulationibus, monet igitur Apostolus, ut quisque perditum redimat tempus, anteacta scilicet emendando, & futura Religionis opera, majori cum fervore, ac pietate exeqvendo. Inspice igitur diligenter opera tua, qvaliter in via Dei, & mandatorum ipsius procedas? Ephes 5

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Nemo potest duobus Dominis servire. Math. 6.*

Punctum. I. COnsidera, doctrinam Christi Evangelicam: quod *Nemo possit duobus Dominis servire.* Si præsertim Domini contrariæ sint voluntatis. Qvid autem magis contrarium, quàm Servire Deo, & simul velle servire Mundo, nam ille Creator, iste Creatura, Deus infinitus, Mundus annihilabilis, ille Salvator, iste proditor noster est. Qvomodo ergo Frater Religiose, qui potiori titulo servire Deo obligaris, tu tamen simul etiam Mundo famulari cupis? *Punct. II.* Qvid magis differentius, quam Imperator, & Arator,

thro-

thronus, & tugurium, Aula, & caula, tu tamen, qui in Religione Deo, & Mundo simul placere studes; præsumptuoso ausu, tyrannicam Mundi captivitatem, famulatui Divino, cui servire, Regnare est, comparare attentas? simulque Monachus, & Aulicus, Cænobita, & Statista factus, Curiam, & Chorum, Solitudinem, & forum componere præsummis. *Punct: III.* Qvanta axiomatum Dei, & Mundi diversitas! Christus Beatos Pauperes deprædicat, Mundus verò, ut contemptibiles spernit: Christus Inimicorum dilectionem, Mundus verò ultionem de ipsis summendam svadet: Christus humilitatem, Mundus fastum, & Superbiam commendat: Christus ad tollendam Crucem, & patiendum adversa, Mundus verò ad luxum, & delicias invitat. Vide ergo, quàm sit impossibilis simultanea Dei, & Mundi Servitus? Cùm itaque Dei Servitio per Sacram Professionem te mancipaveris, quid habes amplius, quod Tyrannis, Dæmoni, Mundo, & Carni famuleris.

FEria. 2. Punct. I. Considera, quod sicuti Deus primo emminenti præcepto mandavit, ut ipsum ex toto, corde diligamus, ita solus vult esse Deus, & Dominus noster, ut non nisi ipsi soli serviamus. Non enim convenit uni corpori, nisi una anima, unus Sol universo, unus Rex, uni Regno: ita non es Dei Servus, neque eum sincerè diligis, si cor tuum alieno partiaris amore. *Punct: II.* Deus respuit cor divisum, sed vel totum, vel nihil habere cupit: non dare ei totum, est nihil dare, velle autem cum ipso in corde nostro aliquid collocare, est

ipsum

ipsum inde pellere, cum Creaturam eidem æquare, idem sit, ac Idolum eidem sociare. Non ergo falsò supponas, quod amando Creatorem, simul etiam Creaturæ, in corde tuo, possis adulterinum fovere amorem? *Punct III.* Deus Philistæos toleravit, quamvis Idololatræ essent, sed postquam Arcam in eodem Altari cum Idolo Dagon collocare præsumpsissent, illicò & Idolum contrivit, & plaga horribili Idololatras punivit. Et tu certò tot Idola adorasti, qvot Creaturas amasti. Statue deinceps amare Deum ex toto corde, tuo, ut sit unum cor uni, solum Deo soli, qui solus illud vult occupare, & æterna felicitate satiare. 1.Reg.5.

Feria. 3. Punct. I. Christus Dominus, sua Evangelica monet exhortatione: *Nè soliciti sitis, quid manducetis, neque quô induamini.* Ex quo considera, damnabilem esse inordinatam, & nimiam, circa temporalia solicitudinem, dum in illis conqvirendis, aut conservandis, nimia anxietate turbamur, Religiosasque intermittimus obligationes, quæ Animæ prodessent, dummodo corporalibus satis fiat commoditatibus. Oportet igitur hæc facere, & illa non relinqvere, ut Animæ, & Corpori salubriter serviamus. *Punct. II.* Solicitudo dicitur, quasi sola intentionis habitudo, undè non præcipit Cælestis Magister, nè etiam in Religione vitæ humanæ necessaria qværamus, sed quasi sola essent curæ nostræ objecta, nè anxiè solicitemur. *Punct. III.* Ea est Dei pro-

vidè

vidè omnia disponentis ordinatio, ut non ni-
si per hæc temporalia, transeamus ad æterna:
cùm itaque, non media, sed finis, non via, sed
Patria felices nos reddat: temporalia igitur
ordinatè qværamus, & de æternis, cum omni
diligentia solicitemur.

FEria. 4. *Punct. I.* Inter omnes Vitæ præ-
sentis solicitudines, Christus docuit, ut ma-
jorem Animæ, quàm corporis curam habea-
mus: *Nonne Anima plus est, quam esca?* Nos ta-
men continuò saginamus corpus, paulò post
escam vermium futurum, & fame spirituali,
cruciamus Animam, æternum duraturam.
Punct. II. Si quis à te quæreret: Utrum velis
salvare animam tuam? nonne responderes,
ita certó certius: sed audi S. Bernardum dicen-
tem: *Ridiculum est dicere volui, & non feci.*
Ita risu digna, tua salvandi animam volun-
tas, si tamen ea, sinè quibus salus obtineri
neqvit, facere negligas. *Punct. III.* Cura salu-
tis, uti præprimis habenda, ita perpende,
utrum eandem pari saltem quæras diligentia,
sicut Miles Victoriam? Mercator lucrum? in-
carceratus liberationem? naufragus Salvatio-
nis tabulam? aut ex incendio fugam? Ecce
vita tua Carcer, naufragium, militia, &
incendiū est super terram? Vide ergo nè majori
solicitudine in his periculis, corpus, quàm
animam tuearis?

FEria. 5. *Punct. I.* Christus Dominus, præter
varia Evangelicæ prædicationis monita,
pro spirituali doctrina, remittit nos ad ipsa
Volatilia Cæli dicens: *Respicite Volatilia Cæli.*
Sicut

Sicut enim Antonius Magnus, omnibus Creaturis, pro libro doctrinæ utebatur: ita S. Pater noster Franciscus, audiens cantum Avium, ad occinendas Dei laudes Socium invitabat. Immiteris Patriarcham tuum Franciscane, nè in hymnis, & Canticis voci tuæ parcas, ubi Volucres Cæli, innato vocis modulamine, Deum laudare audis. *Punct. II.* Respicite Volatilia Cæli, & discite ab Aqvila in contemplatione Solis Justitiæ, irretortam figere palpebram. Immitemini Columbas, felle malitiæ carentes. Inspicite Gruem, lapidem nè obdormiat, ungve tenentem, ut vigil ad Dei laudes semper inveniaris. Considera Struthionem, durissima quæq; concoqventem: ut & tu in Religione discas amore Dei, aspera, & dura digerere. *Punct. III.* Religiosus deniqve fit Pelicanus in Conventu, ut se ipsum pro salute aliorum immolet. Turtur in Oratorio, ut sua, & aliorum deploret peccata. Pavo in ambitu, modestè, ac qvietè incedendo. Passer in Reffectorio, communia commedendo. Accipiter in Prædicando, Christo prædam rapiens. Canarius deniqve in choro, devotè cantans.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera, quod benignissimus Salvator, pro capiendo profectus spiritualis exemplo, hortatur nos dicens: *Respicite Lilia agri.* Nam sicut hortus, sive campus, florida liliorum amænitate virescens, delectabile inspicientibus exhibet Spectaculum: ita Religiosus cunctorum oblectat animos, si in ipso modestiam, pietatem humilita-

litatem, cæterasqve suæ Professioni consentaneas observent florere virtutes? es ne tu talis? *Punct. II.* Peccante Adamo, maledixit
Genes. 3 Deus terræ dicens: *Maledicta terra in opere tuo spinas, & tribulos germinabit tibi.* Ita Frater Religiose, si in horto Seraphico, peccaminosus Votorum tuorum transgressor inveniaris, fulmine maledictionis Sanctissimi Patriarchæ perculsus, non nisi Spinas, & tribulos in combustionem ignis æterni, congeres super caput tuum. Cura igitur, ut potius inter candentia innocentis vitæ lilia, non verò sordida vitiorum lolia, numerari merearis. *Punct. III.* Dicente Christo: Nec Salomon in omni gloria sua tam venustus, quam lilium, naturali suo candore, sive colore virescit, quia Majestas Purpuræ Regalis, emendicata vermium Orientis tinctura: Splendor Coronæ, non nisi progenito conchylium sudore, ac pretiosa lapidum medulla nitescit. Ita pretiosior nostra Virtus, quæ proprio labore, non verò emendicato ab aliorum merito parta refulget.

Sabbatho. Punct. I. Considera clangorem tubæ Evangelicæ pro maximo auribus, ac Cordibus Religiosis reboantem: *Quærite primò Regnum Dei, & Justitiam ejus.* Cùm enim plurimi curis, & Curiis Sæcularibus occupati, mentem habeant distractam. Tu qvi per Sacram Professionem solius Dei Servitio te mancipasti, Religiosus dici non mereris, si in Monasterio, præter Deum, & Justitiam ejus, aliud quæris. *Punct. II.* Interrogatus

Ana-

Anaxagoras Philosophus, ad quid natus esset? respondit: *Ut Cælum aspiciam.* Discamus Religiosi, ab hoc Ethnici responso, quod per ingressum Religionis, ad hoc solum in Christo regenerati sumus, ut in omnibus actionibus nostris, Cælum tanquam finem ultimum respiciamus Væ! igitur nobis, si terrenis implicati, qvæ Mundi, & carnis sunt oblectemur. *Punct. III.* Teste Paulo Apostolo *Deus elegit nos, ante Mundi constitutionem, ut essemus Sancti* Non ut simus Divites, Potentes, Prælati, Doctores Graduati, sed ut essemus Sancti. Ergo devias à tua in mente Divina electione, si primò aliud quæras, qvàm Regnum Dei, & Justitiam ejus. Ephes. 1

DOMINICA XV. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Ibat JESUS in Civitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.*

Punct. I. CONsidera qvaliter hodierno dicente Evangelio: *Ibant cum Christo Discipuli, & turba copiosa.* Felix enim, qvi non in suis incedit adinventionibus, sed in omni Viæ, & Vitæ suæ passu, sequitur Christum, ac ejus se Divinæ committit directioni, nam hoc modo non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ æternæ. Reflectas hic conscientiam tuam, cujusnam directione in tuis præsentis vitæ progressibus regaris? *Punct. II.* Psalmographus exorabat dicens: Deduc

Psal. 85. *Deduc me Domine in via tua.* Sciens, quod qui Deum seqvitur, tutissimus progrediatur, qui ipsum audit, eidem etiam loqvitur, qui eum operari sinit, omnia tali prosperè succedunt, qvi se deniqve ex integro Deo committit, talem ex omnibus salvat periculis. Cura igitur, ut ipsius Divinum seqvaris ductum, & nunqvam à via veritatis, & salutis aberrabis. *Punct. III.* Christus Dominus dixit Servæ suæ Mechtildi: *Quicunque in me humiliter confisus fuerit, ac mihi bene crediderit, ego & in hac vita illi adero, & post mortem supra omne meritum ei benefaciam.* Confide igitur bonitati Divinæ, & quo te Sanctissima ejus ducit directio, exeqvaris, ut prommissam ab eo in vita, & post mortem, omnium bonorum spiritualium affluentiam conseqvaris.

FEria. 2. Punct I. Adveniente Christo in Civitatem Naim: *Efferebatur Filius unicus Matris suæ,* cujus Mors amarè plangebatur: hujus occasione considera, quod Mors hominum corporalis, plerumque deploretur: Mors verò Animæ, vix ab aliquo consideretur. Et tamen sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ: quemadmodum ergo exspirat corpus;in Animæ emmissione;ita moritur anima in Dei ammissione. Cura igitur, cum in tua sit potestate, nè animæ tuæ mortem deplores in æternum. *Punct. II.* In morte Animæ, est duplex separatio Dei scilicet ab anima, & animæ à Deo. Et sicut corpus ab anima separatum fætet: ita anima fordet Cælo, & inferno, quæ à Deo alienatur. Corpus exanime

nime, procreat vermes; Vermem æternaliter rodentem conſcientiam, parit peccatum. Et tamen mors corporis, quamvis certa, & irrevocabilis, qvantum cavetur, & Medicamentis impeditur: Mors verò Animæ libera, & tamen ultrò quæritur. *Punct. III.* Qvatuor paſſim portitores efferunt domô corpus ad tumulum: totidem Animam ad Infernum, duo ab ante: Mala ſcilicet conſvetudo, & mala Societas. Duo à retro, ideſt vana confidentia, & falſa ſpes de Miſericordia Dei. O! quam lugubre funus, exhorreſcat igitur quiſque has fatales animæ ſuæ exeqvias, néſeaſdem incurrat. S. Vincen Fer.

FEria. 3. *Punct. I.* Conſidera, Chriſtum dixiſſe, mortem Filij ſui plangenti Matri: *Noli flere.* Fruſtra enim timemus, ac deflemus, quod evitare non valemus: ſed potius ſcire oportet, quemadmodum Venena, quamvis ſummè lethifera, evadunt ſanitatis remedia, ſi benè præparentur: ita Mors qvantumcunque crudelis, evadet nobis ſalutaris, ſi nos ad eandem, per Religioſæ pietatis opera, benè præparaverimus. *Punctum. II.* Monente Thoma Kempenſi: Melius eſt tibi peccata cavere, quàm Mortem timere. Si enim optimè paratum, in bono conſcientiæ ſtatu, Mors te invenerit, non morieris, ſed per mortem ad vitam æternam duraturam tranſibis; Non igitur Mortem timeas, ſed te ad Sanctè moriendum ſemper paratum habeas. *Punct. III.* Mori non eſt malum, ſed malè mori peſſimum; non igitur Mortem timeas, ſed malè mori exhorreſcas, cùm autem ob varios fatales caſus, nul-

lum vitæ inſtans habeas ſecurum. Ergo ita cautè, piè, & Religioſè vivas, ut quovis momento Sanctè mori poſſis.

FEria. 4. *Punct. I.* Conſidera, qvaliter Chriſtus Dominus Filium Matris ſuſcitando dixerit: *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Ut inde diſcamus, quod ubi miſeratione Divina, à morte lethalis peccati, ad vitam gratiæ, nos exſcitari ſenſerimus, nihil in ſordibus peccatorum immoremur, ſed illicô exſurgentes, & pravas occaſiones deſerentes, ad exercitium Virtutum, omni ſtudio contendamus. *Punct. II.* S. Auguſtinus monet dicens: Remedia converſionis nullis cunctationibus differenda ſunt, nè tempus correctionis tarditatê pereat. Viriliter itaque excute, ſordes vitiorum ex animo tuo, ut qvantocyus alter exſurgas, quam paulò ante fuiſti. *Punct. III.* Si reſcires aliquem domeſticorum tuorum conjuraſſe in necem tuam, nonne qvantocyus illum à te, vel te ab illo ſeqveſtrares; Ecce peccatum eſt hoſtis domeſticus animæ tuæ, vide igitur, ne illam animi peſtem ultrò nutrias, ſed poſtquam hac te infectum ſenſeris, illicô per pœnitentiam, ſalutis remedia exqviras, ut tanqvam ſinui tuo illapſum ſcorpionem qvantocyus ejicias.

FEria. 5. *Punct. I.* Conſidera, quod dicent Evangelio: *Ille qui erat mortuus, cæpit loqui* ad quem videndum, & audiendum qvantus creditur accurriſſe populi tumultus. Sed non horum occaſione, ab animo Religioſo, diſcimus inordinatas compeſcere curioſitates, ne

præſer-

præfertim Vifum & Auditum ad illicita difpenfemus, ferôque deinde cum Propheta ingemifcamus: *Oculus*, five qvifcunque alter fenfus, *deprædatus eft animam meam*. *Punct. II.* Threni 3. Si fcires per feneftram, portam, five quodvis aliud foramen, in Domum tuam furem ingreffurum, ut tibi pretiofam margaritam, aut quidquid cari habueris furripiat; nonnè ifta loca ftrictè occluderes, & diligenter à furtivo ingreffu cuftodires? Ecce inimicus Dæmon, nunquam fecurius ad conclave Cordis tui penetrat, pretiofam innocentiæ tuæ gemmam ablaturus, quam per licentiofam fenfuum corporalium apertionem, & incuriam. Cohibe igitur fenfus tuos, à curiofa divagatione, & eofdem diligenter cuftodi, à furtiva inimici irruptione. *Punct. III.* Propheta Jeremias dicit: *Mors afcendit per feneftras.* quia fæpè quod Jerem. 9. per has corporis noftri feneftras, fcilicet oculos videmus, plerumque etiam nolentes, in delectationem peccati cadimus: præceps quippè anima, dum ante non prævidet, nè incautè videat, quod illicitè concupifcat, cæca poft incipit defiderare, quod vidit. Prius itaque prævideas, utrum licet, quod videas, vel audias, nè tandem jacturâ animæ curiofitatem incautus exfolvas.

FEria. 6. *Punct. I.* Poftquam Populus vidiffet refufcitatum à Chrifto, afflictæ Matris Filium, *Accepit omnes timor.* Ex quo confidera, Luc. 7. quod & nos, qvantò majores à Deo recipimus gratias, tantò magis timere debemus, nè per earundem abufum, tanquam benigniffimo Pa-

tri, ingrati Filij, & liberalissimo erga nos Domino, rebelles servi reddamur. De accepto itaque dono sis gratus, & time. *Punct. II.* Scriptura Sacra nihil nobis freqventius, quam Amorem Dei inculcat, ita etiam nihil magis, quam Timorem Domini commendat: nam & ipsis animabus Justis præcipit: *Timete Dominum omnes Sancti ejus.* Qvi ergo inter hos connumerari desideramus, curare summoperè debemus, ut in hac Virtutis Schola proficiamus, nam Timor Domini Peccata fugat, innocentiam servat, omnisque boni tribuit facultatem. *Punct. III.* Sanctissimus Pater Noster Franciscus hora sui transitus, pro ultimo Testamento Fratribus *Timorem Domini*, commendavit dicens: *Valete Filij omnes, & in timore Domini permanete semper.* Hunc igitur fove semper corde tuo Franciscane, ut sis verus Paternæ legationis Hæres.

S. Chri soit.

Sabbatho. Punct. I. Postquam populus vidisset in resuscitatione Filij Viduæ magnalia Dei: *Omnes magnificabant Deum.* Horum exemplo Religiosa Anima, apperi oculos ad magnalia Dei Cælô, ac terra comprehensa, singulisque momentis, in servitium nostrum multiplicata, & videbis, quod nulla sit Creatura, quæ nobis vel non suppeditet lumen ad Deum cognoscendum, vel medium ad eum perveniendi, vel incitamentum ad ipsum amandum: ex hisque omnibus infinita Dei judicia admirandi, & laudandi copiosa habebis motiva. *Punct. II.* S. Augustinus emphaticè exclamat dicens: Cælum & terra, & omnia quæ in eis

sunt

sunt, undique mihi dicunt o! Deus, ut ſamem te. Væ! igitur tibi, si easdem creaturas, quarum occasione Deum amare, & magnificare deberes, per malitiosum abusum, in perniciem tui convertas. *Punct. III.* S. Paulus dicit: *Vanitati creatura subjecta est, non volens.* quia Rom. 8.
homini adversatur, dum eandem pro instrumento offensæ Dei assummit, eamque ob causam, & in finali Judicio ultionem quæsiturus: *Pugnabit Orbis terrarum* cum suis Creaturis, Sapien 5
contra insensatos. Statue igitur imposterum Creaturas, non ad offensam, sed ad laudem Dei, & tuum meritum adhibere.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Cùm intraret JESUS in domum cujusdam. Luc.* 14.

Punctum. I. CONsidera, quod Christus Dominus invitatus à Principe Pharisæorum Sabbatho, ut manducaret cum illo, preces ejus quamvis dolosi, & malitiosi hominis, non spreverit, sed ad domum ejus condescenderit; cujus exemplo doceamur, nè adversarios nostros fugiamus, & spernamus, sed nostra lenitate, & patientia, eorum furorem, ac malevolentiam, in bonum vincientes emendemus. *Punct. II.* Benigna Christi Domini cum malevolis Pharisæis conversatio, magna profectò Religiosis animabus, debet esse instructio, ut scilicet non solùm cum pijs, ac mori-

geratis Fratribus libenter convivamus, sed etiam defectuosos, molestos, & nobis adversantes, amore Dei patienter sufferamus. Ipsa enim Cælorum Regina dixit Servæ suæ Brigittæ: *Mali vivere permittuntur ad bonorum probationem, ut eorum moribus exasperati, patientiæ fructu remunerentur.* Non igitur contemnas, sed patienter sufferas, quos tibi adversarios senseris. *Punct. III.* Stude patiens esse in tolerandis aliorum defectibus, quia & tu forte multa habes, quæ alij occasione tui tolerare debent. Deus autem sic ordinavit, ut discamus alter alterius onera portare, nam si omnes essent perfecti, quid tunc haberemus pro Deo ab alijs pati?

Kempen

FEria 2. Punct. I. Postquam Christus Salvator in domum Pharisæi advenisset, præsentes ibidem Legis periti: *Observabant eum.* Non reverenter, sed fraudulenter, ut ipsum de qvopiam dicto, vel facto, sinistrè judicare possent. Hoc enim est commune hominum vitium, qvod aliorum Magistri esse volumus, eosqve perfectos habere cupimus, proprios tamen defectus, nec advertimus, nec emendamus. Qvi ergo alium reprehendere, velis primo teipsum crimine purga. *Punct. II,* Siqvidem conditionè fragilitatis humanæ: Nemo sinè nævo, hoc ipso tamen, magna inte relucebit perfectio, si aliorum defectus patienter sufferas, vel si ad te pertinet, charitativê corrigas; aut quod tibi in alijs displicet, ipsemet caveas, Nam dicit S. Augustinus: Boni dum adhuc infirmi sunt, opus habent malorum

rum comixtione, ut eorum comparatione ad melius incitentur. Disce igitur ex alieno defectu procurare tibi perfectionem. *Punct. III.* Qui sanæ complexionis, & stomachi est, cibum etiam malum, in bonam sui substantiam convertit: qvi vero morbidum, & malè affectum habet stomachum, etiam alimenta bona, in vitiosos humores vertit. Ita qvi bonam habet conscientiam, in bonum sensum, qvi vero malam in malum omnia quæ in proximo videt, interpretatur. Signum igitur est, quod ipse malus sis, dum illa, quæ in alijs observas, mala esse judicas.

Feria. 3, Punct. I. Postqvam Christus Dominus in domo Pharisæi ad Mensam accubuisset. *Ecce hydropicus ante illum.* Cujus occasione considera, conditionis humanæ infirmitatem, semper præ oculis habendam, qvod qvamvis Animam tuam in Virtute, firmo stabilias proposito, attamen quæ unâ promittis, jam illa, alterâ negligis horâ, aut fugienda, aut facienda. Confundere de tanta propositorum instabilitate, & ad perficiendum ea ferventer auxilium Dei implora. *Punct. II.* Hypocrates Medicorum Princeps dicit: *Natura morbo corrupta, appetit sibi nociva.* Ex qvo considera, qvam infirmus sis, & debilis in appetitu tuo, per peccatum corrupto, nam cupiditatibus inordinatis allectus, & seductus, qvæ tibi sunt proficua negligis, nociva verò, ac noxia, ultrò appetis. Ora igitur Dominum humiliter cum Propheta: *ut sanet* Psal 102 *infirmitates tuas*, nè amplius nociva, sed saluta-

lutaria animæ tuæ amplectaris. *Punct. III.* Natura humana per peccatum Originale, non solùm est spoliata Justitia primigenia, sed etiam mansit vulnerata, in potentijs naturalibus, nam in *intellectu*, ad intelligendas res Divinas, patitur obscuritatem: *Memoria* vaga, & debilis in advertendis obligationibus: *Voluntas* ad bonum Spirituale infirma: *Appetitus* verò ad malum validus: *Liberum arbitrium* ad perfectiora debilitatum. *Sensus* ad illicita curiosi: *Caro* deniqve infirma, & ad malum proclivis. Vide igitur o! homo, qvantis obnoxius sis infirmitatibus, & cura, ut ab ijs à Deo cureris.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, Christum Dominum interrogasse Pharisæos: *Si licet Sabbatho curare?* Ita & tu Religiose, in omnibus actionibus, ac desiderijs tuis, reflectas conscientiam tuam *Si licet?* appetis promotionem, inspice causam, *Si licet?* fugis persecutionem, nolens adversa pati pro Christo, *Si licet?* Professione tua obligaris esse spiritualis, & actione, ac moribus tuis totus es carnalis, *si licet!* *Punct. II.* Ipse Ethnicus Seneca, lumine naturæ, examinis operum, quod licet, vel non liceat, agnovit necessitatem dicens: Examina te ipsum, & reprehende, malus enim non es, nisi quia te non cognoscis, neque vitæ tuæ rationem investigas? Qvantò magis tu Religiose, singulas tuas seriò inspicere obligaris actiones, ut non quod lubet, sed quod liceat

Kempen facias. *Punct. III.* Duo specialiter ad magnam vitæ emendationem juvant: videlicet subtrahere

here se violenter, ad quod natura vitiosè inclinat, & ferventer instare pro bono, quô quis amplius indiget: hoc tamen utrumque non assequeris, nisi te ad ea, quæ acturus sis, *An liceat?* seriò reflexeris?

FEria. 5. *Punct. I.* Ad Salutaria Christi Domini quæsita Pharisæi: *Tacuerunt.* quorum taciturnitatis occasione, considera, præcelsam Religiosi Silentij Virtutem, quod communi Sanctorum Patrum judicio dicitur: Gemma Monasteriorum: Custos Virtutum: Mater Sapientissimarum cogitationum: ac denique nihil famulis Dei commendabilius *Silentio.* Jmò S. Jgnatius pro certo habebat signo, quod in illo Monasterio, disciplina regularis vigeret, in quo benè observaretur *Silentium.* Vide quanam diligentia tu illud observes? *Punct. II.* S. Magdalena de Pazis ex revelatione sibi facta à Christo, dicere solebat: Sicut impossibile est, ut anima Religiosa, quæ non delectatur Silentio, gustet res Divinas, ita nemo aptior est ad Divinas visitationes, & consolationes percipiendas, quam taciturnitatis solicitus amator. Signum igitur est, quod tibi Divina non placeant, qui Silentij non es amator. *Punct. III.* In structura Templi Salomonis: *Malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita.* Ita Religiosus vivum Dei Templum, tunc in sublime Spiritualis ædificij consurgit fastigium, quando per custodiam Silentij, exterius se non diffundit. Sed si observatione Silentij, Spiritualis Templi Dei succrescit structura? o! quàm certi sitis, quod conven-

3. Reg. 6

S. Petr. Dam.

conventiculis, & murmurationibus Silentium violantibus, Dæmoni habitaculum, & vobismetipsis ædificatis macellum.

FEria. 6. *Punct.* I. Considera, qvaliter benignissimus Salvator in domo Pharisæi: *Apprehensum hydropicum sanavit.* quia langvidus ille, à Cælesti Medico, ultroneè sui exorabat sanationem. Tu autem quomodo à tuis infirmitatibus animæ sanari speres? qui non solùm ab ijs, seriò quærere negligis curationem, quinimò tuæ vitiosæ inclinationis industriosè exqviris satisfactionem. *Punct.* II. Qvi seriò, & sincerê à sua vult sanari infirmitate, resoluto animo, amaras summit Medicinas, contraria gustui amplectitur pharmaca, ferri, & ignis patitur cauterias, quinimò manûs etiam, vel pedis libenter subit incisionem, ut reliqui corporis, & suæ vitæ, obtineat conservationem. Tu autem signum est, quod tuam spiritualem non cures Vitam, cùm tantam pro sanatione animæ, qvantam pro relevatione corporis, negligas impendere curam. *Punct.* III. Post multos Religiosæ vitæ tuæ annos, vide, quam sis infirmus, ac langvidus, in Exercitijs spiritualibus, Oratione, & Meditatione: debilis in assurgendo ad altiorem perfectionis gradum, & solæ sapiunt dissolutiones, hilares confabulationes, ludi, nugæ, ac Mundi vanitates, quare hoc? nisi quia tales animæ infirmitates non apprehendimus, conseqventer neque curamus. Statue igitur ab hinc omni studio exqvirere opportuna sanandi defectus tuos remedia, ille

Luc. 14.

ille etenim Deus, qui creavit te, ſinè te, non ſalvabit te ex infirmitatibus tuis, ſinè te.

Sabbatho. Punct. I Chriſtus in Parabola Evangelica, dum dicit: *Da huic locum.* Monet, ut noſmetipſos humiliantes, ſemper majorem Proximi æſtimationem habeamus; licet enim alios præcedas gradu, honore, ſive Officio, viliſſima tamen tui æſtimatione, omnibus te credas inferiorem. Non enim nocet, ſi omnibus te poſtponas, nocet autem plurimùm, si vel uni te præponas, dicit Kempenſis. *Punct. II.* Beatiſſima Virgo dixit Servæ ſuæ Brigittæ, in hæc verba: Filia mea, cogita te eſſe peccatricem, ſuper alios, quia & ſi videris malos, neſcis tamen quid eras de eis futurum ſit, ideoque nulli te præferas, nullumque in corde tuo ſiniſtrè judices. Cujus ſalutari monitô diſce humiliter de te ſentire, qvantumvis alios videas apertè peccantes, potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare Filios Abrahæ, & tu miſer relinqveris. *Punct. III. Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo.* dicit Eccleſiaſtes. Multi enim habent ſpeciem, ſed non Virtutem humilitatis, nam quod verbis teſtantur, hoc tumente interiori faſtu impugnant. Ille ergo ſolus, qui ita gaudet in deſpectu, ſicut Superbus in honore, hic verè humilis coram Deo habetur, dicit S. Thomas à Villa nova. Cura igitur, ut tantò Deo charam Humilitatis, non ſolùm ſpeciem, ſed etiam ipſam poſſideas Virtutem, quæ te exaltabit in gloria Cæleſti.

Eccl. 19.

DOMI-

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTES.

Evangelium *Accesserunt ad JESUM Pharisæi, & interrogavit. Math:* 22.

Punct. I. Interrogavit Pharisæus, tentans JESUM: *Quod est mandatum magnum in lege?* non animo illud observandi, sed livore ipsum carpendi; ex quo considera, quod & tu non honoras, sed potius tentas Deum, dum verbis, & falsâ pietate, cupis videri Religiosus, re autem ipsa, ob manifestam Votorum tuorum transgressionem, perjurus eidem efficeris fœdifragus: *Punct. II.* Tentas profectò Deum, dum te Pauperem, Castum, & Obedientem, profiteris Religiosum, qvæ verò eorundem Votorum concernunt observantiam, minimè exeqvi curas: immemor Prophetæ dicentis
Eccles. 5 quod: *Multò melius est non vovere, quam post votum promissa non implere. Punct. III.* Qvi præsummeret volare sinè alis, vellet videre sinè oculis, aggredi cum hoste conflictum sinè armis, potius esset frivola tentatio, qvam judiciosa, & efficax talia exeqvendi intentio. Ita profectò Religiosus tentat Deum, qvi sinè exacta Votorum suæ Religionis observantia, vult beatificè possidere Deum. Redeas igitur ad cor, qvi hæc audis, & convenientia prius tuæ Professionis adhibe media, ut tandem felicem desiderii tui asseqvaris finem.

FEria.2. *Punct. I.* Considera qvod Pharisæus interroget Christum simulatoriè: *Quod est mandatum magnum in Lege?* sed tu, qvi hæc audis, vi tuæ Professionis, Ordinis, Characteris, & Officij, qvæ ad te pertinent, scire, ac inqvirere teneris obligatoriè; neqve excusaberis, coram Deo, de tuis transgressionibus, ob ignorantiam, qvia ad ea scienda, omnem debuisti impendere diligentiam. Scias itaqve ad qvæ obligaris, & sciendo illa omnia diligenter exeqvere. *Punct. II.* Præcepta, & regulas artis suæ studiosè discit, & diligenter custodit, qvilibet providus Miles, Mechanicus, & Artifex, ut secundum eas operando, honorem, profectum, ac lucrum reportet: qvanto igitur majori diligentia, tu Religiose teneris Regulæ tuæ obligatoria scire, & sciendo exeqvi Præcepta, ut per hæc in Via virtutis proficias, & gloriam, ac lucrum animæ tuæ obtineas. *Punct. III.* Pro Ethnico haberi præcipitur Christianus, pro Hæretico execratur Catholicus, qvi non vivit Christianè, aut Catholicè: & qvâ oro severitate coram Deo judicabitur Religiosus, qvi non vivit Religiose? nolo esse Judex in hac causa, sed præsens Meditatio veritatem nobis aperiat. Math.18

FEria. 3. *Punct. I.* Considera, primum, & cardinale esse præceptum: Ut diligamus Deum ex toto corde, & Proximum sicut nosmetipsos qvidqvid enim peccaminosè committimus, aut omittimus, non aliter, qvàm contra Deum, aut Proximum delinqvimus. Laudemus igitur bonitatem Divinam, qvod Legem Suam, non

in aliqvo arduo mandato, sed in tàm svavi, & facili modo observandam præscripserit. *Punct. II.* Si ut quondam Petrum, ita modo, unumquemque nostrum, interrogaret Christus:
Joan.21. *Petre amas me?* nonnè quilibet nostrùm, protinus diceret: *Tu scis Domine, quia amo te.* Sed audi, quid ad hæc tibi per Apostolum Joannem respondeat Christus: *Qui habet mandata mea,*
Joan.14. *& servat ea, ille est, qui diligit me.* Præcepta igitur Regulæ Minoriticæ, quid sunt aliud, quam medulla Legis Evangelicæ? Si ergo illa non observas, quomodo dicere poteris, quod Deum diligas? *Punct. III.* S. Augustinus modum diligendi Deum, explicat dicens: Qvi habet mandata mea in memoria, & servat in vita, qui habet in sermonibus, & servat in operibus, qui habet audiendo, & servat faciendo, ille est, qui diligit me. Confundere igitur, quod ad usque Deum sincerè non amaveris, cum Præcepta Regulæ exactè non observaveris, & ab hinc promitte, quod adusque neglexisti.

FEria. 4. Punct. I. Hodiernum Qvatuor temporum refert Evangelium: qvaliter Apostoli pluribus annis obsessum à Dæmone, liberare non poterant, qui alios similiter à malignis Spiritibus vexatos, facilê curabant. Qvos enim Dæmon pravis consvetudinibus irretitos tenet, magnô gratiæ Dei opus est auxiliô, ut ab ejus infelici solvantur captivitate. Considera igitur diligenter, utrum & te in Religione, alicujus vitij, conceptus adhuc in sæculo nexus, non liget? *Punct. II.* Propheta certi-

certificat, quod: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* hæc enim vis est, in junioribus annis, contracti ad malum habitus, ut nolens,volens, etiam in provectiori ætate, fortiter ad consvetum vitium stimuletur, aut si illud emendare velit, certè non usu naturæ, sed magna ad hoc Dei gratia opus habet. Cave itaque iterare delicta, nè tandem miser eorum catena constringaris. Prov 22.
Punct. III. S. Augustinus in senectute, pravos mores adolescentiæ suæ ita deplorat: Suspirabam, videbam, & cognoscebam fragilitatem meam, & hujus me pudebat, attamen illi alligatus fueram, non aliqua catena ferrea, sed duriori quam ferrum voluntate mea. Corrige itaque quàm citissimè pravos mores tuos, nè serò deplores, quod cito facilius emendare poteras.

Feria 5. Punct. I. Considera,Dilectionem Proximi,magnum esse Legis Divinæ præceptum, idemqve est realiter habitus charitatis, quô diligimus Deum propter se, Proximum verò propter Deum: & eadem Charitas, quæ est Virtus Theologica, habens pro objecto dilectionem Dei efficit:qvod diligentes Proximum propter Deum, hoc ipso diligimus Deum. Si ergo odium foves erga Proximum, eô ipso scias te odisse Deum. *Punct. II.* Falso dicit Filius se amare Patrem, qvi ejus conspuit, & ignominia afficit propriam imaginem: Qvomodo igitur credere poteris, quod diligas Deum? si ejus Imaginem, in tuo Proximo contemnas, irrideas, aut injurijs afficias?

Punct.

Punct. III. Considera, qvod sicuti qvilibet homo, qvamvis Hæreticus, Judæus, & Paganus, per amplexum veræ fidei, est capax consequendi Vitam æternam, Meritò igitur diligere nos ad invicem obligamur temporaliter, qvi fortè simul permansuri sumus in gloria Cœlesti æternaliter.

FEria. 6. Punct. I. Hodierno feriali commemoratur Evangelio, qvaliter Pænitens Magdalena ad pedes JESU plenariam peccatorum suorum obtinuerit Indulgentiam. Unde considera, qvam magna sit Virtutis Pænitentiæ efficacia, qvod in qvacunqe hora ingemuerit peccator, teste Propheta: *Omnium iniqvitatum ejus obliviscatur* Deus. Qvi ergo secutus es peccantem, seqvere pænitentem, ut similiter veniam delictorum tuorum conseqvi merearis. *Punctum. II.* Virtutis Pœnitentiæ, tanta est vis, qvod non solùm peccatorum deleat reatum, amissam restituat gratiam, mortificata vivificet merita, sed etiam qvandoqve peccatorem lapsum, ad altiorem Sanctitatis sublevat gradum: ut de Petro Apostolo, dicit Ambrosius: fidelior factus est Petrus, postqvam fidem se perdidisse deflevit, majoremqve perindè gratiam recepit, qvam amisit. O! felix igitur Pænitentia perqvam tantam promereri valemus gratiam. *Punct. III.* Qvantumcunqve flagitiosum te sentias peccatorem, non tamen cum Cainô dixeris *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*, sed potius cum Publicano. *Deus propitius esto mihi peccatori.* Scelera enim tua qvantumvis

Isai. 34.

Genes. 4.

Luc: 18.

multi-

multiplicata, adhuc tamen ſunt finita, Dei autem miſericordia eſt infinita, plus valens parcere, quàm tu peccare, plus dimittere, quam tu committere. Age igitur pœnitentiam de peccatis tuis, donec tibi conceditur tempus, ut ejuſdem fructus ſalutares conſeqvaris.

Sabbatho. Punct. I. Hodiernæ feriæ refert Evangelium: quomodo Paterfamilias, *ſterilem ſuccidi præcipiat arborem, nè gratis terram occupet.* Per quam deſignari crede ſterilitatem ſpiritualis tui profectus, in horto Seraphico: ubi à tot annis, doctrina Sole clariori illuſtratus, favonijs gratiæ Spiritus Sancti inſpiratus, imbribus Cæleſtium donorum irrigatus: nullum tamen, aut nimis exiguum attuliſti fructum. Time itaque, nè dum minimè ſperas, velut aridum lignum de terra viventium ſuccidaris. *Punct. II.* Conſidera qvantum deturpet florentiſſimum aliquem Hortum, unus aridus, ſi videatur truncus, inter ordinatas, & exqviſitiſſimis fructibus onuſtas arbores? Ita profectò in ſterilitate animæ tuæ areſcens, hortum Seraphicum deturpas, ubi inter tot candentia innocentis vitæ lilia, tu ſolum proſtas lolium, inter præcelſas hæroicarum virtutum, & fructibus bonorum operum onuſtas arbores, tu unus aridus videris ſtipes, utinam igne infernali non comburendus. *Punct. III.* Infructuoſam Arborem conſiderans Paterfamilias dicit: *Ut quid terram occupat?* Idem de te aride, otioſe, negligens Religioſe dictum cogita, ſi inter caſtos caſtus, inter Obe-

dientes Obediens esse non vis, si inter pauperes, incommoda pauperis sufferre detrectas? si inter Temperantes Sobrius, inter Silentes taciturnus, inter devotos, pius esse non velis, *Ut quid gratis in Religione terram occupas?*

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Ascendens JESUS in Naviculam. Math.* 9.

Punctum. I. CONsidera, Christum Dominum beneficiô Navis transfretasse Mare, quamvis ut Dominus universæ Creaturæ, cui cuncta obediunt, poterat siccis pedibus, ut alias fecit, transire per aquas: sed nos hoc suo docuit exemplo, nè & nos per Mare hujus sæculi, ad portum æternæ felicitatis navigantes, miracula nobiscum fieri expectemus, sed scyllam, & charybdim occurrentium tentationum, qvantùm in nobis virium est, viriliter superare contendamus. Considera utrum in te sit hujusmodi resolutio? *Punct.* II. Ex eo, quod Deus Populum Israeliticum, quadraginta annis, depluente è Cælo Manna in deserto sustentaverit. sæpè sæpius Servis suis, ad victum, miraculose, varias providerit annonas, his tamen exemplis non innixi, diligenter quotidie, congruos sustentationis quærimus modos: & quare ubi de negotio Salutis agitur, spiritualis profectûs, ordinaria non quæra-

quæramus media, sed solùm miraculosè ad Cælum trahi volumus? *Punct. III.* In negotio salutis tuæ maximo, ex consilio Sanctorum Patrum hos duos observa aphorismos: Ut scilicet in exercitio Virtutum, omnem conatum, ac industriam propriam adhibens, ac si nihil à gratia expectares: ita verò in sola Dei gratia speres, ac si nihil conatus, & industria tua posset. *2do.* Totam spem tuam in Deo repone, nec tamen minori fiducia vitam æternam ab illo expectes, quam si unicè à voluntate, & arbitrio tuo penderet.

Feria. 2. Punct. I. Considera Christum Dominum dixisse Paralitico *Confide fili.* Ut & nos qvantalibet peccatorum gravitate pressi, de Misericordia Dei non desperemus: cætera enim peccata, contrarijs sibi tantum opponuntur Virtutibus; ut Superbia humilitati, luxuria castitati, Desperatio autem omnibus contrariatur Virtutibus desperati enim animi homo, ad omne nefas dissolutus. Nè igitur peccans cum Cajno desperes sed cum Davide spera in Domino, & non confunderis in æternum. *Punct. II.* Desperatio est peccatum, contra omnes tres Sanctissimæ Trinitatis Personas: nam homo desperatus, non credit se habere misericordem in Cælo Patrem, sed solùm crudelem ad puniendа peccata Carnificem: peccat in Filium, nam copiosum redemptionis spernit pretium, neque credit, quod hic venerit in Mundum vocare, non justos, sed peccatores: Spernit denique Spiritum Sanctum, qui est totus Amor

& Bonitas, quia non amplius Misericordiam, sed solam in ipso severam Justitiam agnoscit. *Punct. III.* Inter Damnatos in Inferno, cessabunt peccata Superbiæ, furti, luxuriæ, & cætera, sed solùm per totam æternitatem durabit Desperatio, animas Damnatorum maximô crucians tormentô. Qvi ergo vivens desperare præsummit, adhuc sibi in vita præsenti Infernum facit.

FEria. 3. *Punct. I.* Considera, Christum Dominum dixisse Leproso: *Remittuntur tibi peccata tua.* Ubi ex sua ineffabili clementia, non solùm corporis, sed etiam ipsius animæ sanavit infirmitatem. Tu tamen spè faciliter conseqvendæ Sacramentalis absolutionis, nè liberius pecces, Misericordia enim Dei magna est, non tamen ut ideò adjicias peccare, sed ut remittenda speres, si ea amplius decernas non committere. *Punct. II.* Deus per Prophetam suum dixit: *In quacunque hora ingemuerit peccator, exaudiam eum.* Hac tamen securitate sponsionis, nè præsummas liberius peccare, nam si spe Misericordiæ ultrò peccas, minus te capacem reddis consequendæ gratiæ, quis enim magis indignus gratia? quam qui eandem gratiam, in contemptum, aut injuriam convertit largitoris? Hoc igitur facis, si ex eô, quod Deus bonus sit, tu magis iniqvus fièri præsummas? *Punct. III.* Deus per Prophetam suum conqveritur dicens: *Servire me fecistis peccatis vestris.* quod tunc impiè
Isai: 43. facimus, quando ipsius patientiam, longanimiter emendationem nostram expectantis exer-

cer-

terbamus, non nos emendando, sed ex eô, quod patiens sit, liberius peccando, & scelera sceleribus accumulando. Cura igitur nè tanta Dei gratia in tui perniciem abutaris; & ex medicina salutari, malitiosa præsumptione, mortiferum tibi efficias venenum.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, quod Pharisæi, livore malitiæ in Christum accensi, Divinam illius calumniabantur doctrinam dicentes: *Hic blasphemat.* Sed & tu Religiose Frater, in omnibus verbis, ac passionibus tuis observa moderamen, memor illius Sancti Bernardi moniti: Qvod sæpè illa, quæ in ore Sæcularium habentur nugæ, in ore tamen Sacerdotum, & vel maximè Religiosorum sunt blasphemiæ. *Punct. II.* S. Augustinus dicit. Rarò jam inveniuntur, qui lingva Christum blasphement, sed multi, qui vita. Difformes igitur Professioni tuæ actiones, quid sunt aliud? quam execrabiles in Deum blasphemiæ, qui aliud Deo ore tuo jurasti, aliud factis in offensam ipsius perpetrasti. *Punct. III.* S. Aqvinas docet: tunc esse blasphemiam, dum quis ex pravo cordis affectu, excellentiæ, & bonitati Divinæ detrahit, ac contumeliam infert, vel negando, quod ipsi proprium est, vel aliqvid imponendo, quod ei non convenit. Qvi ergo ad Sacram Religionem vocatus es, ut continuô Deum laudes, nè igitur tua negligentia quod in ejus Servitio præstare obligaris, subtrahas.

FEria. 5. *Punct. I.* Christus Dominus arguebat Pharisæos dicens: *Ut quid cogitatis mala*

in cordibus vestris? Unde & nos doceamur, ut non solùm exteriorem bonorum operum speciem, sed etiam interiorem cordis curemus
Math. 5 munditiam. *Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Considera igitur nè sola exteriori specie videaris Dei adorator, corde verò Mundi, & carnis adulator, habitu humilis Religiosus, & moribus ambitiosus, habitu pudicus, corde verò lascivus. *Punct. II.* Propheta exhortans peccatores ad pœnitentiam, di-
Isai. 46 cit: *Redite prævaricatores ad cor.* quia non sufficit sola exteriori specie videri emendatum, nisi etiam seriò, interiori cordis expurgatione, consveta execreris delicta, nam jux-
Math. 12 ta doctrinam Christi: *Homo de bono thesauro cordis profert bona. Punct. III.* Facilè convalescens in morbum reincidit, si ejus intrinseca non curetur occasio: irritô conatû purgatur virgultis hortus, nisi ipsi erruantur radices, ita parva spes spiritualis profectus, nisi cordicitus vitia eradicentur, nec quidquam proderit apparuisse Virtuosum, nisi radicitus cordi inseras Virtutem. Cura igitur, ut cuncta opera tua, non ex parte, non apparenter, sed radicitus, totaliter, & ex intrinseco cordis, perfecta coram Deo inveniantur.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera, Christum dixisse infirmo: *Surge, tolle lectum tuum, & vade,* quô ipsius Divinô mandatô, commendatur excellens Virtus Obedientiæ, ut non nostram infirmitatem, sed Dei in nobis gratiam considerantes, quævis etiam ardua, dum Obedientiæ meritô obligamur, promptô animô exequamur.

mur. Sed confundaris quod è contra, non tu Superioris, sed potius Superior tuæ sæpê cogatur servire voluntati. *Punct. II.* Ex Obedientia, minus laborando, plus mereris, & copiosius præmiaberis, quàm ex propria voluntate plus laborans. Manducantes Obedientia efficit jejunantes, qviescentes sociat laborantibus, dormientes æqvat vigilantibûs, verbô denique, Obedientia quasi dormiendo facit homines Cælum conscendere. Scito igitur hanc appretiare Virtutem, & omni conatu, utpotè præ cæteris salutarem effice tibi familiarem. *Punct. III.* Christus Servam suam Brigittam de sua salute solicitam, his assecuravit verbis: *Virginitas meretur Coronam, Viduitas appropinquat Deo, sed Obedientia omnes introducit ad Cælum.* Hanc igitur securissimam salutis viam, & nos omni cura, ac studio amplectamur.

Sabbatho. Punct. I. Considera, qvaliter ad imperium Christi Domini Paraliticus: *Surrexit, & abijt in domum suam.* Cujus exemplo commendatur nobis prompta Obedientia; quæ in hoc consistit: Ut Obedientes non discernant curiosè, quid, vel qvare præcipiatur? sed tantùm ad hoc attendant, ut fideliter, & humiliter exeqvantur, quod à Majori præcipitur. Vide si tali promptitudine jussa tuorum Superiorum expleas? *Punct. II.* Cælestes Seraphini, Throno Altissimi assistentes, visi sunt, *duabus alis facies suas velare, & duabus volare.* Tu ergo, si de Seraphico Ordine, verus esse cupis Seraphim, celeritatem in Obediendo observa,

S Humbert

Ezech. 1.

serva, ut non inqviras, cur tibi aliquid præcipiatur? sed promptissimo mox animo, non tam progrediaris, quàm evoles ad exeqvendum, quod tibi demandatur. *Punct. III.* Si te retardat in Obediendo Superioris vilitas, cogita S. Bonaventuræ monitum dicentis: *Subditus Prælatum suum, non hominem, sed Deum considerare debet, cujus amore subjectus est, quanto enim contemptibilior præsidet, tantò magis Deo, humilitas Obedientis placet.* Omne itaque Superioris mandatum, sit tibi in exeqvendo, tanqvam ipsius Dei præceptum.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Loquebatur JESUS Principibus Sacerdotum. Math.* 22.

Punctum. I. Considera, effusam in homines Dei bonitatem, qui ut nos à terrenis abstrahat miserijs, Cælestes nobis proponit delicias, & ad easdem nos omnes, tanquam ad opulentissimas invitat Nuptias. Quis itaque nostrum in his sordidis Mundi hujus Siliquijs tantùm sibi gustabit, quod ipsorum complacentia, ab illo Cælesti excusabit se Convivio? *Punct. II.* Cælum dicitur à celando, quia ante oculos nostros celat pro statu vitæ præsentis, illa gaudia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descendit, quæ ibidem Deus præparavit diligentibus se. Confundere quod tàm parum aspi-

aſpires, ad grandem illam felicitatem, quaſi tibi ad ejus aſſecutionem fides, aut ſpes deeſſet? *Punct. III.* Patria illa Cæleſtis, eſt felicitas, omnia mala excludens, & omnia bona complectens, bonum tam grande, quô Deus majus dare nequit, nam ibidem ſemetipſum Beatis communicat. Sordeat igitur nobis terra, dum Cælum aſpicimus.

FEria. 2. Punct: I. Conſidera, quod felix Patriæ Cæleſtis ſtatus, comparetur Nuptijs, quia in præſenti ſæculo, Animæ noſtræ deſponſantur Cæleſti Sponſo, per gratiam, in illa verò felici Patria, copulantur eidem beatificè per Viſionem, & fruitionem ſuæ Divinitatis. Eligeſnè potius æternaliter cum Damnatis, torqveri in inferno, quam cum Beatis, ac Cæleſti Sponſo, sinè fine gaudere in gloria Cæleſti? *Punct. II.* Si te Rex, vel Cæſar, pro ſuo invitaret Cubiculario, aut continuum vellet habere Menſæ ſuæ aſſeſſorem, qvantùm & ipſe, & alij tibi gratularentur talem honorem? Ecce Rex Regum, & Dominus Dominantium vocat te, ad dilecta tabernacula ſua, non amplius ut Servum, ſed Amicum, & domeſticum, invitat te, ut recumbas ad Menſam cum illo, in Regno ſuo: Ergo nè ingratus tanti beneficij, excuſabis te, & non vis venire? *Punct. III.* S. Auguſtinus affirmabat dicens: Tanta, & tam magna eſt dulcedo futuræ gloriæ, quod ſi unica tantùm gutta Cæleſtis beatitudinis, in Damnatorum pœnas difflueret, tanta dulcedine repleret Gehennam, ut nullum dolorem, aut tormentum paterentur. Has igitur delicias depræ-

S. 'gnat:

Joan: 15.

deprædicat tibi Evangelium, non solùm ut à Beatis possessas; sed etiam te ultrò invitat, ut easdem possideas, Ergo nè ab ijs te excusabis!

FEria. 3. *Punct.* I. Considera, qvaliter invitati â Rege pro Nuptiali Convivio: *Nolebant venire.* Qvod & nos facimus, dum forti Spiritus Sancti impulsu sæpè corda nostra tanguntur, & claris illustrationibus ad profectum Spiritualem, sive fervidis exhortationibus commonentur, nihilominus tamen à consvetis vitijs, alienari nolumus, sicqve Deum nos vocantem spernimus. Dole de tua negligentia, & abhinc pulsanti, ac invitanti te Deo diligènter obtempera. *Punct.* II. Qvid pauperi Mendico ad felicitatem Vitæ prodesset? Si eidem honorem, ac divitias Regni sui, aliqvis Rex conferre vellet, ille tamen ista omnia accipere nollet, imò sæpius invitatus, gratiam sui largitoris contemneret: Hoc & nos facimus, dum vocanti nos Deo ad perfectiora resistimus. *Punct.* III. Certè nos miseri homines pro conditione fragilis naturæ, nihil ex nobis boni agere valemus, sed neqve Deus in nobis, sinè nobis, qvidqvam meritorij operatur: vult enim infirmitatem nostram sanare, sed expectat, ut ipsum rogemus: vult largire gratiam, sed reqvirit, ut nos ad eandem disponamus: vocat nos ad profectum Spiritualem, sed vult, ut ei obtemperemus. Vide igitur qvaliter in his omnibus Divinæ correspondeas vocationi?

FEria. 4. *Punct.* I. Considera, qvod varij Status homines, ad Cælestes invitati nuptias, Super-

Superbi, & Avari, se habere volebant excusatos, Carnalitati verò alligatus, absolute dixit: *Non possum venire.* Qvi ergo carne constamus, carnem utpotè domesticum hostem, & Saluti nostræ maximè contrarium, qvam plurimùm timeamus. Sed confundere, qvod eidem è contra, ut fidissimo amico aduleris. *Punct.II.* Meritô lascivus dixit: *Non possum venire.* Qvia huic vitio assvetus, mysticæ Cœnæ accumbendi, sive pænitentiam agendi, non tàm difficultatem, qvàm impossibilitatem experitur: cùm enim voluptas carnis, connaturalis sit qvodammodo homini, postqvam freqventatis actibus, transierit in naturam, facilius lavando Æthiopem dealbabis, qvam lascivum, ad sinceram peccati retractationem converti videbis. Cave ergo tibi, nè tam grandi infelicitate irretitus maneas. *Punct.III.* Cor Pharaonis, ad omnes sibi plagas à Deo inflictas non emolliebatur, sed magis obdurabatur, ita homo carnalitati deditus, ad omnes monitiones, & correptiones, surdas habet aures, nec ullis movetur minis, nec emmendatur plagis, qvia appetitus concupiscibilis, vehementer intentus suo objecto delectabili, rationem, & voluntatem inordinatè pervertit, ac qvodammodo peccandi facit necessitatem. Principijs igitur obsta, nè te ejusmodi infelix peccandi constringat necessitas. Exod: 7

FEria 5. *Punct. I.* Considera, Evangelicum Patremfamilias, misisse Servos ad exitus Viarum, ut qvoscunqve invenissent, vocarent ad nuptias: Sic Pater Cœlestis, sinè ullo di-

scri-

1 Timot. 2. scrimine, teste Apostolo: *Omnes vult Salvos fieri.* Ergo & pro te priusquam natus esses, Cælestis illa parata est Hæreditas. Sed tua infelicitas, si te ab hac malitiosè subtraxeris. *Punct. II.* Si Rex suo Belli Duci, pro expugnanda aliqua Civitate, tradat copiosum Exercitum, arma, pecuniam, & omnis generis amunitiones, signum est, quod talem Civitatem seriò occupare velit: Et quis nostrum dubitare poterit? quod Deus omnium nostrum sincerè non velit salutem? qui nobis pro eadem assequenda tantas confert gratias, suppeditat media, & per singula ferè momenta facilitat opportunitates. Quod ergo Deus pro nostra felicitate vult, cur nos respuamus? *Punct. III.* S. Ambrosius ad præsens propositum ita ratiocinatur. Si Deus, qui est Omnipotens, vult omnes homines salvos fieri, cur non impletur ejus voluntas? Sed in locutione sensus est, conditio latet? Vult enim Deus, omnes salvos fieri, sed si accedant ad eum: non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, qui & ipsi velint. Cùm ergo Deus totum ex parte sua faciat, quod necessum est, ut salveris: tuâ igitur culpâ fit, quod tu ejus nolens correspondere voluntati, condemneris.

FEria. 6. Punct I. Considera dictum fuisse illi, qui non habuit *vestem nuptialem: Amice quomodo huc intrasti?* quia non est satis velle salvari, velle ad Cælestes Nuptias introire, sed necesse est, vestibus bonorum operum festivè ornari, qui particeps, & Socius felicis illius Cænæ esse cupit? Tu verò his nudatus, & spoliatus,

liatus, quomodo inter Cæleſtes Convivas apparere præſummes? *Punct. II.* Si Rex Evangelicus, miſſis ad exitus viarum Servis, tâm bonos, quàm malos, ad Nuptias Filij ſui invitare præcepit, cur igitur unum, ſinè veſte nuptiali deprehenſum, pœnis affecit? Reſpondet S. Aqvinas: Qvia noluit, quod mali intrarent, niſi ſe prius pararent, & diſponerent, ut ſint boni. Ergo & nos omnes, Rex Cæleſtis, ad æternas invitat delicias, ſed in his non niſi paratos, & Virtutibus ornatos, vult comparere. *Punct. III.* S. Gregorius dicit: Intrat ad Nuptias, ſed ſinè Veſte Nuptiali, qui in Eccleſia fidem habet, ſed charitatem non habet. Reflectas igitur conſcientiam tuam, quod licet per fidem, tanquam ſalutis januam, ad Cæleſtes acceſſeris Nuptias, ſi tamen præterea Veſte Charitatis, ſeu Amorê Dei, ac Proximi, ornatuque cæterarum Virtutum non reſplenderis, certô certius ab illa felicitate Nuptiali expelleris. Cura igitur, ut hoc feſtivo veſtitu quàm ditiſſimè orneris.

Sabbatho. Punct. I. Conſidera, exprobrantia Regis verba, dicta ad illum, qui non habuit Veſtem Nuptialem: *Amice, quomodo huc intraſti?* Qvæ ſi etiam ad te directa, Deus repeteret: Amice, quomodo huc ad Sanctã Religionem intraſti? qui fortè melius in Sæculo vixiſti? *Quomodo huc intraſti?* cùm poſt tot, tuæ converſionis annos, cæteris Fratribus, omnium Virtutum genere ornatis, tu tamen adhuc ſolus, conſvetorum vitiorum, & imperfectionum ſqvallore ſordeſcis? *Punct. II.* Examina Conſcien-

scientiam tuam: *Quomodo huc intrasti?* qvale nimirum Deo Serviendi, & in Religiosis Virtutibus proficiendi habueris desiderium, ac propositum? attamen in his omnibus, nedum profecisti, quinimò multum defecisti. Reassume igitur vires fortiores prioribus, ut hactenus neglecta resarcias. *Punct. III.* Gravis pudor, & ignominia, ab aliqua honesta Societate repelli, sed longè tua major erit confusiò, & infelicitas, si defectu Nuptialis Ornatus, quem tibi virtutum exercitio comparare neglexeras, ab illa Cælestium Convivarum Societate, æternaliter repelleris. Consule itaque tuæ felicitati, dum tempus habes, nè serò pœniteat, quod tibi modo comparare poteris.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Erat quidam Regulus, cujus Filius infir. &c. Joan. 4.*

Punct. I. Considera, Regulum Evangelicum de sanitate Filij sui magnam habuisse curam. Qvia & nos vel maximè de valetudine solicitamur corporis, majoris tamen meriti abhorremus occasiònem, dum immissam nobis à Deo, nolumus patienter tollerare infirmitatem. Ubi tamen affirmat S. Pachomius dicens: Bona est abstinentia, Mortificatio voluntaria, Oratio, infirmus tamen plus meretur, si patiens inveniatur. Sis igitur resolutus ad bibendum calicem passionis, si ti-

ſi tibi eundem Divina permiſſio propinaverit. *Punct. II.* Tu velles, ut ad nutum tuum, ſola ſemper ſuccederent proſpera: & ignoras quod Deus in theſauris Providentiæ ſuæ,etiam acutas conſervat novaculas, quibus tuas vitioſas præſcindat, & abradat paſſiones, penetrantes acuit lanceolas, quibus tuum corruptum emittat Sangvinem, variæ ſortis parat inſtrumenta, & potiones amaras, quibus mortiferam peccatorum tuorum ſeccet, reſcindat, & ſanet tabem: Adora igitur hunc Cæleſtem Medicum, qui te non alio fine tangit,nisi ut ſanet. *Punct. III.* Tu optas, ut quævis tibi ſerena affulgeat dies, & non conſideras, quod providus totius Univerſi Gubernator,nonunquam & in ipſo meridie facit obſcurari Solem,habet ad ſui nutum nubes, grandinem, & fulmina: adhibet in ſui Miniſterium Serpentes, dracones, & mordaces beſtias, ut his tuam probet patientiam, vel augeat meritum. Ergo & in Camino ardenti quarumvis tribulationum, ac infirmitatum ſemper benedicito Dominum, qui ſemper pro tua Salute adhibere conſvevit, quod efficacius novit.

FEria. 2. *Punct. I.* Conſidera,occaſione Infirmi Evangelici: Infirmitates noſtras corporales, eſſe ſpeciale Dei donum,nam per eaſdem, auget in nobis Patientiæ meritum, per langvorem corporis plurimos præſervat à morte Animæ, dicente S. Juſtiniano; Optimum medicamentum ad ſalvandas animas ægritudo corporis, quia innumera aufert incitamenta peccatis. Non abhorreas itaque, ſed gaudenter

ter suscipias, immissas tibi à Deo infirmitates, utpotè speciale spiritualis tuæ sanitatis antidotum. *Punct. II.* Infirmitate corporali, patienter tolerata, Justitiæ Dei vindicativæ, exsolvimus pro peccatis, quod pati obligaremur in Purgatorio, dicente S. Gaudentio: Idcircò nos Dominus, flagello ægritudinum castigat, nè aliquid sordium in nobis futurus ignis inveniat, sed per exiguas plagas brevissimi temporis, ab omnibus maculis purgati, ad æternam reqviem migrare mereamur. Ora igitur cum Augustino: *Hic ure, hic seca Domine, ut in æternum parcas. Punct. III.* Ut autem ex Infirmitate Corporali, Spiritualem consequaris salutem monet S. Salesius, nos debere patienter ferre, non solùm quod ægrotemus, sed etiam quod eô morbô, quô Deus visitare nos cupit; & eô locô, quô ipse vult, & inter eos, & apud eos, quôs ipse vult, non sicut nobis commodius videretur. Cave igitur, nè per impatientiam in dono Infirmitatis, amittas coronam æternæ mercedis.

FEria. 3. Punct. I. Considera, quod Pater, videns periculum mortis in Filio, festinus recurrit ad Christum sanitatem ipsi imploraturus: ex quo disce, tempestivè infirmitatibus Animæ ocurrere, nè serô ingemiscens doleas, quod facilè in primordijs curare poteras. *Punct. II.* Crede, quod una levis passio, si non statim suffocetur, sed cum complacentia foveatur, fit ille pernitiosus vermis, qui sæpius rodendo, cor, morsu replicato, tandem illud interimit. Nemo enim ut dicit Chrysosto-

mus:

mus: repentè ad extremam improbitatem insilit, sed paulatim ex negligentia perit. Ergo in defectibus tuis, principijs obsta, nè serò medicina infructuosè paretur. *Punct. III.* Deus negligentes deserere consvevit. dicit S. Gregorius. Ergo ad primum tentationis aggressum, non negligas temetipsum, sed ut valorosus Miles, omnes tuas potentias, ad arma excita, omnes Cælites in adjutorium implora, omnes modos, & media ad salvandum te adhibe, & sic inordinati affectus subreptio, in ipso partu, in fascijs, in sua facilius supprimetur infantia. Vide utrum talem in reprimendis tentationibus adhibeas diligentiam?

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, verba illa Christi: *Vade Filius tuus vivit*, magnum Regulo Evangelico attulisse solatium. Ita & nos passim gratulamur nobis, de Vita & Sanitate corporali, quamvis Animam habeamus sauciatam peccato mortali. Nomen habemus, quod vivamus, & coram Deo abominabile sumus cadaver. Apoc. 3. Primò igitur cura salutem Animæ æternum victuræ, & postmodum corporis brevi morituri. *Punct. II.* Mortem temporalem timemus, licet si evitare non possimus: Vitam verò æternam, si vellemus, haberemus, semelque possessam, nunquam amitteremus. Et tamen plus de vita temporali, quàm æterna, soliciti sumus. *Punct. III.* Cogita, quam libenter Sancti Martyres, præsentem Vitam, crudelissimis exposuerunt tormentis, ut qvantocyus possent vitam consequi æternam; Tu verò solummodo de sanitate gaudes temporali,

commoditates folicitè quæris corporales, & parùm aut nihil de vita cogitas æterna. Time nè dum minimè speras, utrumque amittas.

FEria. 5. Punct. I. Considera Christum Dominum exprobrasse duritiam cordis Pharisæis, quod nisi viderent Signa, & Prodigia, verbis ipsius credere noluerint. Idipsum & nos facimus, dum tantis gratiæ Divinæ impulsibus, & continuis ad profectum spiritualem exhortationibus, non correspondemus, quasi miracula nobiscum fieri expectamus. *Punct. II.* Scriptura affirmat, Sancti Patres unanimiter conclamant. *Qui amat periculum, peribit in illo.*
Eccl: 3. Nos autem non credentes huic veritati, toties miracula tentamus, quoties nos, in manifestam peccandi occasionem inijcimus, cùm affirmet S. Augustinus: quod in proxima peccati carnalis occasione esse, & non peccare, plus est, quam Mortuum suscitare. *Punct. III.* Si denique circa spiritualem tuum profectum, quæris Miracula, audi quod svadet B. Stephanus Tyronensis dicens: *Præstat exercere unum actum veræ Obedientiæ, quam facere sexcenta miracula.* Ecce quàm facilè fieri possis, gratus Deo, miraculorum patrator, si patiens, ac promptus didiceris esse Obedientiæ amator. Nemo igitur tentet Deum, in profectu suo expectans miracula, sed sufficientia sibi credat ad Salutem, si exactè observet Præcepta Regulæ, tanquam Divina Oracula.

FEria. 6. Punct. I. Considera, Evangelicum Regem interrogasse Servos: *Ex qua hora Filius ejus melius habuerit?* Unde apparet, quàm accu-

accuratam Princeps ille, in singulas horas, suorum domesticorum habuerit curam? Nos verò Menses, dies, horas, & Annos, in cura Salutis nostræ negligimus, quia singulas actiones nostras, non prout fieri deberent, sed prout currunt, currere inconsideratè permittimus. Reflectamus igitur conscientias nostras, & satagamus, ut ex hac hora, quod neglexi mus, seriò emendemus. *Punct. II.* Mundus est Labyrinthus, quis in hoc non aberrabit? Peccatum est dulce venenum, quem non intoxicabit? Voluptates Syrenes, quem non sopient, nè in via mandatorum Dei progrediatur? Dæmon ignis fatuus, quem non seducet? O! anima Religiosa, hæc scis, & tamen fidis, noscis pericula, & non caves, vides proximam perditionem, & non paves. Ex hac igitur hora incipe melius habere, & securius tuæ Saluti providere. *Punct. III.* Deus in finali Judicio: *Vocabit adversum nos tempus.* Qvia tunc accusabit nos, & testificabitur ipsum *Tempus*, quod in vita nostra otiosè, ac peccaminosè impendimus, aut perdidimus, quod ad promerendam nobis æternitatem Beatam fuit concessum, illud tamen in vanis conversationibus, ac damnosis voluptatibus impendimus. Non simus igitur Fratres tempus perdentes, sed potius malè adusque impensum, bonis abhinc actibus redimentes. Thren. 1 Ephes. 5

Sabbatho. Punct. I. De Juvene Evangelico, Patri referebant Servi: *Reliquit eum febris.* Cùm ergo febris nostra luxuria, febris nostra avaritia, iracundia, & quævis effrons passio

ſit: Non igitur expectemus, ut nos vitia relinqvant, ſed nos eadem relinquamus, non enim eſt virtutis, non poſſe, ſed nolle peccare. Tu verò fortè pro tunc tantum es bonus, quando fieri non poteris malus. *Punct. II.* Beatum illum deprædicat Eccleſia: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Sic igitur vivas, & omnes actiones tuas, conformiter ad Legem Dei, & Regulam, quam profeſſus es diſponas, ut occurrente tranſgreſſionis occaſione paratus ſis, vitam potius amittere, quàm peccatum committere: non verò pro tunc ſolum fias Legis obſervator, dum fieri non poſſis tranſgreſſor. *Punct. III.* S. Auguſtinus præmonet dicens: *Nullus expectet, quando peccare non poteſt, arbitrij enim libertatem quærit Deus.* Quò ergo majores ad peccandum occurrunt occaſiones, eò validius contra has pugnemus, poſtquam enim ceſſaverit pugna, ceſſabit & Victoria: quia ſtat pro ratione illa aphoriſmi, maxima: *quod non ſit Virtutis non poſſe, ſed nolle peccare.*

Eccleſ. 31.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Simile eſt Regnum Cælorum homini Regi. Math:* 18.

Punct. I. CONſidera Regem Evangelicum, ſtrictam à Servis ſuis, adminiſtrationis bonorum, exegiſſe rationem. Qvorum

rum commoneamur exemplo: quod DEUS justus Judex, de concreditis nobis talentis strictissimam etiam nobiscum facturus sit discussionem, ubi non solùm, dicta, & facta, sed radices quoque operum, desideria, fines, & circumstantiæ seriò discernentur. Qvod ergo modo committere in secreto non vereris, de hoc palam à Severo Judice tunc argueris. *Punct. II.* Severitatem Judicij Divini exhorrescens Job dicebat: *Ecce Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Qvia apud Deum districtè judicantem, ipsi quoque maculas inqvinationis habent, qui per munditiam Sanctitatis lucent. Nemo igitur confidat fulgori suæ Sanctitatis, quia fortè in hoc multos reperiet Deus nævos pravitatis. *Punct. III.* Testante Propheta: *Omnia creavit Deus in numero, pondere & mensura.* Sicut ergo Deus cunctas Creaturas servitio subjecit hominis, ita quid quid horum malitioso excesseris abusu, eodem numero, pondere, & mensura, severo Judici, scias te strictissimam redditurum rationem. Sic igitur vivas, ut numerum, pondus, & mensuram bonorum operum semper augeas.

Job. 25.

S. Gregor.

Sapien. 12.

FEria. 2. *Punct. I.* Oblatus est Regi Evangelico Servus, *qui debebat ei decem millia talenta.* Cujus occasione considera, quam infelix sit status Servi illius, qui immemor reddendæ rationis, bona Domini sui perniciosè dilapidavit? Nos profectò sumus Servi illi, quibus Deus plura, vel pauciora, omnibus tamen aliqua, contulit talenta, donorum scilicet naturalium, vel supernaturalium, quibus fructum

plus afferre obligamur. Væ! igitur nobis, ſi his non fructuoſè utamur, ſed pernicioſè abutamur. *Punct. II.* Cui plus datum eſt, plus exigetur ab eo. Reflectas igitur conſcientiam tuam, qui gratia Dei ex Parentibus Catholicis natus, honeſtè ac piè educatus, à ſæculi naufragio, ad ſecurum Religionis portum vocatus, Regali Sacerdotio inſignitus, non tantum per dies, horas, ſed per ſingula vitæ momenta, varijs à Deo gratijs cumularis. Qvantùm de his omnibus ſtrictius judicaberis, niſi tantis correſpondendo beneficijs, Sanctius vixeris? *Punct. III.* Conſidera immenſam Dei bonitatem, qui paucis vitæ tuæ annis, voluit te ſuo intentum eſſe Servitio, & pro hoc mercedem tibi promittit æternam, exiguum laborandi indulget tempus, & perennem in præmio ſpondet gloriam. Vide igitur anima Religioſa, quô ſtudio, circa concredita tibi talenta negotieris? nè aliquando confundaris: Qvod plus fortè laborum, & moleſtiarum ſuſcipiant homines ſæculares, in aucupandis caducis voluptatibus, quàm nos in conqvirendis præmijs Cæleſtibus. S. Ign. Loy.

FEria. 8. *Punct. I.* Conſidera Servum Evangelicum *non habuiſſe unde redderet debitum.* Ita profectò & nos Regis Cæleſtis magni ſumus debitores, ad exſolvendum ex nobiſmetipſis impotentes, ſiquidem poſſumus peccare, ſed non fructuoſè pœnitere: cadimus facile, ſed noſtris viribus ſurgere non valemus: nam teſte Apoſtolo: *Omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt.* Non ergo dicas peccabò, & poſtmodum pœni- 2. Corin. 3.

pœnitebo, quia tuum propriè est peccare, sed sola Dei gratia est posse pænitere. *Punct. II.* In libertate voluntatis creatæ est, posse naturaliter culpam expiare, prout est actio, contra rectam rationem, sed non prout est offensa Dei: quia hoc modo ut detestetur peccatum, necessarium est Auxilium gratiæ Dei efficax, & supernaturale, quô quis elicere valeat actum Amoris Dei super omnia; qui includitur in contritione, quæ est necessaria, & ultima dispositio ad Justificationem. Vide igitur miser peccator, quod nihil ex te habeas, quô Debitum Deo, pro peccatis tuis exsolvas, aut conversionis gratiam tibi securè appromittas. *Punct. III.* Testante Apostolo: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis* scilicet boni, quod ordinetur ad gratiam, meritum, & salutem æternam: multò minus operari aliqua bona, præmio æterno digna, quia major reperitur difficultas in operando, quâm in cogitando bonum. Si ergo neque cogitare aliquid boni possimus ex nobis, & quomodo viribus naturalibus quidquam boni facere poterimus? Nè igitur tibi promittas, quod non est in tua, sed solius miserentis Dei potestate. 2. Corin. 3.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, quod Servus magnis oneratus debitis, rogabat Dominum dicens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Nos verô longè gravioribus Deo obstricti debitis, non spondemus, nec quærimus modum, ut ei satisfaciamus, quinimò abutentes ipsius patientia, vitam nobis prolongantis, peccata peccatis, & majora debita, debitis Math. 18

accu-

accumulamus. Redde igitur Deo quod debes, aut qvantum vales cum humilitate, priusquam à te exigat cum nimia severitate. *Punct. II.* Deus cuilibet nostrum dedit intellectum, quo eundem cognoscamus, dedit Voluntatem, quâ cognitum amemus. Contulit memoriam ut ipsius, & præceptorum ejus continuò recordemur. Nos tamen è contra his potentijs, non ad gloriam Dei, & nostram salutem, sed ad ipsius offensam, & nostram perniciem abusi sumus. Redeamus igitur prævaricatores ad cor, & dum adhuc tempus habemus, injuriam adusque Deo factam, abhinc seria vitæ emendatione compensemus. *Punct. III.* Nostra merita, qvantumcunque de se perfecta, cùm tamen in satisfactionem infinitæ Dei offensæ sint improportionata, fac quod Christus ipse Beatam Gertrudem docuit dicens: *Quilibet etiam maximus peccator poterit respirare in spem veniæ, & obtinere saluberrimum fructum indulgentiæ, si offerat pro peccatis suis Deo Patri meam innocentissimam Passionem & mortem.* Accurre igitur anima debitrix ad hunc inappretiabilem thesaurum Meritorum Christi; ex quo habes, unde Regi Cælesti pro debitis, & delictis tuis, non tantum sufficientem, sed superabundantem reddere possis satisfactionem.

FEria 5. *Punct. I.* Considera, qvaliter Evangelicus Creditor, facti sibi beneficij immemor, pro minori debito, suum suffocabat conservum dicens: *Redde, quod debes.* Hoc & nos facimus, dum gravissimorum delictorum obtinentes à Deo veniam, Proximis tamen nostris

exiguas

exiguas offenſas ignoſcere nolumus. Dimitte igitur charitativè offenſam Proximo tuo, ſi tibimetipſi à Deo culpas dimitti voles. *Punct.* II Deus Moyſen privavit ingreſſu Terræ Sanctæ, Numer. 20. quod juſſus loqui ad petram, eandem tamen ut affunderet aquas, virgâ percuſſerit. Ita petrea licet multorum videantur corda, non tamen facilè percutienda, ſed prius charitativè præmonenda, & fortè tali diſcretione mollificata, faciliùs pectora eorum licet petrea, in ſalutaris pœnitentiæ reſolventur lachrymas. *Punct.* III. Propheta Jonas ab horrida abſorptus Balæna, non tamen dentibus beſtiæ læſus, aut ſinu illius ſuffocatus fuit. Jonae. 1 Ita defectuoſi Jonæ, potius ad intima charitatis viſcera illæſi recipiantur, quam dente mordaci dilacerentur, & fortè ſpes correctionis citius affulgebit, dum vitioſi non quæretur mortificatio, ſed emendatio.

FEria. 6. *Punct.* I. Rex Evangelicus exprobravit inclementiam Servo ſuo dicens: *Nonnè oportuit te miſereri conſervo tuo, ſicut & ego tui miſertus ſum.* Qvi enim opera Miſericordiæ negligit, in Judicio Dei, rigorem juſtitiæ ſentiet abſque miſericordia. Eſto igitur in Proximos tuos miſericors, ut in die illa tremenda, miſericordiam ipſe conſequi merearis. *Punct.* II. Nos homines mortales, ab omnibus Creaturis, continua participamus beneficia, utpotè à Sole lumen, ab igne calorem, è terra fructus, ab aqua humorem, & ſic de alijs: Qvàm igitur inconveniens eſt, ubi homo homini beneficus eſſe nolit? *Punct.* III. In

Sen-

Sententia finalis Judicij quam Christus in reprobos proferet, propriæ injuriæ oblivisci videbitur, sed solùm duritiam cordis, quam ad præstanda opera Misericordiæ Proximis habuerunt, exprobrabit. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, nudus eram & non cooperuistis me, in carcere eram, & non visitastis me.* Commoveantur igitur viscera nostra ad compatiendum miseris, ut ab ipso Misericordiarum Patre, de operibus Misericordiæ in finali Judicio inter electos collaudemur.

Math. 25

Sabbatho. Punct. I. Considera, quod postquam Christus Parabolam Servi crudelis, qui in Conservum suum facere noluit misericordiam explicasset, hac conclusit assecuratione: *Sic & Pater Cœlestis faciet vobis*, ex quo collige grande esse Charitatis Præceptum erga Proximos: siquidem illud est mensura Divinæ erga nos gratiæ, ita quod si verè ames Proximum, Deus te amet: Si oderis, in odio apud Deum habearis. Diligite igitur inimicos vestros, si diligi à Deo cupiatis. *Punct. II.* Per dilectionem inimicorum, homo miser, sublimatur in filiationem Dei adoptivam dicente Christo: *Diligite inimicos vestros, ut sitis Filij Patris vestri, qui in Cœlis est.* Undè exclamat S. Antoninus dicens: O! qvanta gratia, quod nos, qui Servi Dei digni esse non sumus, inimicorum dilectione, Filij Dei efficiamur? Scias ergo appretiare Inimicorum dilectionem, quæ te sublimare potest, in adoptivam Dei filiationem. *Punct. III.* Ecclesia canit, quod Deus de hominibus, tanquam de vivis, & electis lapidibus

Math. 18

æter-

æternum præparat suæ Majestatis habitaculum: Sicut ergo disperſi lapides, niſi coadunentur fabricam non conſtruunt, ita niſi vinculo charitatis coadunemur,& conjungamur, nequaquam odio Proximi, & diſperſione animorum, in fabricam Cæleſtem coaleſcemus.

DOMINICA IIXX POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt. Math.* 22.

Punctum. I. CONſidera, qvaliter Phariſæi *conſilium inierint, ut JESUM caperent in ſermone.* Ex quorum malitia, ſalutarem cape in tuum profectum inſtructionem: quod ſi malevoli homines induſtrioſas exqviſierint inventiones, quomodo Chriſto nocerent: qvantò magis, tu conſilia cum Sapientibus, & collationes cum viris Sanctis exqvirere obligeris, ut inſtruaris, quô nam modô Deo placere, & Animæ tuæ plurimùm prodeſſe poſſis. *Punct. II,* Non omne quod inſtar auri fulget, aurum re ipſa probatur, ſic neque omnia deſideria, ſive opera noſtra, eſtó qvandam præſeferant Sanctitatem,& perfectionem, re ipſa Sancta, & perfecta ſint: dicente Kempenſi: Non omne deſiderium à Spiritu Sancto eſt, & ſi hominibus videatur rectum,& bonum, multi enim ſunt decepti in fine, qui primò bono Spiritu videbantur inducti. Nè itaque incautus in Spiritualibus & tu deſiderijs de-

decipiaris, cum Viro Spirituali experto, & prudente tua conferas consilia. *Punct. II.* In via Spiritualis profectus, manifestum est Superbiæ argumentum, existimare se nullius egere consilio, *cum sæpè Sathanas transfiguret*
2. Corin. 11. *se in Angelum lucis.* Ipseque S. Bernardus asse-curat dicens: *Qui se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Nullo enim alio vitio tam cito Diabolus pertrahit Monachum ad perditionem, quàm neglectis consilijs seniorum, quem in suo judicio præsumpserit confidere, dicit Cassianus eximius Vitæ Spiritualis Magister. *Ergo Fili sine consilio nihil facias,*
Eccl. 32. *& post factum non pænitebis.*

FEria 2. *Punct. I.* Meritô Pharisæi dicebant Christo: *Scimus quia verax es.* In omnibus enim verbis ejus, nullum unquam inventum est mendacium. Si ergo Christianus esse desideras, ama veritatem, & execrare mendacium: cùm enim Christus sit Veritas, Christum profectò negat, qui veritatem negat. Nè igitur leve quid existimes Mendacium, quod te Christiani nominis facit esse indignum. *Punct. II.* Homo ad Socialem vitam nascitur, quæ societas, non nisi per commercium bonæ fidei, & mutuam, sinceramque animorum communicationem conservari potest, *Mendaciô* enim sinceritas commercij destruitur, Societas fraudatur, & Mundus falsitatibus, ac fraudibus vitiatur, ut quisque etiam à suo Proximo cavere deberet. Ecce quam grande damnum, toti universo infert mendaciū? *Punct. III.* Mendaciū ita ab intrinseco est malum, quod & si per illud omnes

omnes poſſent infideles converti ad fidem, peccatores ad pœnitentiam, omnes Damnati à pœnis liberari, & perpetuò beari, adhuc mentiri non liceret. Et quomodo quis noſtrum conſvetudinarie mentiri præſummet? aut levè exiſtimabit piaculum? quod neque ad obtinenda maxima bona, nec ad impedienda maxima mala, licitum eſſe poteſt?

FEria. 3. *Punct. I.* Conſidera, Phariſæos affirmaſſe de Chriſto: *Non reſpicit perſonam hominum.* Gujus & nos Diſcipuli ſeqvamur exemplum, ac doctrinam, nè ob reſpectum hominum qvid unqvam mali committamus, aut boni omittamùs. Homines enim cum ſuis laudibus, ſive vituperijs, citò veluti fumus evaneſcent, pretium verò Virtutis, permanet apud Deum æſtimabile in æternum, *Punct. II.* Sanctus Saleſius dicebat: ſi ſcirem, qvod unica mea cogitatio, affectus, aut opus in alium tenderet finem, qvam in Deum, optarem carere mente, corde, manu: Si ergo magnus ille Præſul, noluit habere cor, mentem, manum, niſi propter Deum, vide, & cura, nè tu ob reſpectum hominum ſubtrahas Deo, qvod toto corde, tota mente, & tota operatione præſtare obligaris. *Punct. III.* Verus Dei Servus dicit cum Apoſtolo *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* nec conſiderat, ad Gal. 1. qvod à mundo contemnatur, qvia ſcit, qvod Cæli enarrabunt gloriam ejus: eſtò ab hominibus rejiciatur, ſed in ſinum Patris Cæleſtis ſuſcipitur: qvamvis diſpliceat ſodalibus terrena ſapientibus, ſed à Deo in ſuæ amicitiæ glorio-

gloriosissimum fœdus, & inseparabile consortium assummetur. Sic itaqve Deo placere studeas, ut displicere hominibus minimè formides.

*F*Eria. 4. *Punct. I.* Considera, magnam Judæorum fuisse præsumptionem, qvod Christum omnia scientem, ausi sint dolosè tentare, suis qvæsitis: Cave nè & tu curiosè præsummas, ubi inspecta vilitate propria, mille potius humiliandi te habes motiva. *Punct. II.* David cum auxilio gratiæ, est Vir secundùm cor Dei: relictus verò suis viribus, adulter, & homicida. Salomon cum Deo Sapientissimus, sine Deo carnalis, & insipiens idololatra, Petrus ad latus Salvatoris contemnit furias Judæorum, & pugnat gladio: sibi verô soli relictus, ad vocem unius Ostiariæ, abjurat Magistrum. Et quid tecum foret, nisi te Divina protegeret miseratio? quid ergo habes, unde præsummas? *Punct. III.* Sicuti diffidentia de Divina misericordia est cavenda: ita pariter præsumptuosa fiducia, est fugienda, qui enim præsummit, minus veretur, qui minus veretur, minus cavet, & qui minus cavet, plus periclitatur: ideoque facillimè labitur. Si igitur gratia Dei stas, nè præsummas, sed expavesce, nè brevi eô profundius cadas.

*F*Eria. 5. *Punct. I.* Considera, quod Christus Salvator præceperit dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, ex quo docemur, in via Sociali præsentis vitæ, non posse subsistere bonum ordinem, nec conservari harmoniam; nisi cuique reddatur, quod illi ex justitia, officio, & charitate debetur. Vide si tu è contra, quod alijs

alijs præstare deberes, hoc potius non auferas, & loco justitiæ, injuriam Personæ in officio dignitatis constitutæ non inferas? *Punct. II.* Apostolus admonet, ut fideles *Principibus & potestatibus* sint propter Deum Subditi, eorum scilicet Authoritatem reverendo, jussis obtemperando, & injuncta ab ipsis onera fideliter exeqvendo. Vult enim Deus, non solùm in Dignitate Spirituali, sed etiam Sæculari coli, ac venerari. Proindeque, & tu qui Spiritualis es, honora Principes, ac Magistratus Sæculares, quia præceptum Christi est. *Punct. III.* Christus Dominus pro se, & Petro, statere de ore piscis exempto, tributum Cæsari persolvi jussit. Ut demonstraret se non venisse tollere Potestatem temporalem, sed Servitutem Dæmonis æternalem. Omni igitur Dignitati propter Deum convenienter Subditus esto, ut perinde æterna libertate filiorū Dei glorieris.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera, Christum ad exhibitionem Monetæ præcepisse Pharisæis: *Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Sicut ergo Moneta præseferens effigiem Cæsaris, Cæsari reddenda: ita homo Creatus ad imaginem Dei, nullius se dominio, sed solius Dei Servitio mancipare debet. Vide igitur anima Religiosa, quæ tàm origine Creationis, quàm Professionis soli te reddere obligeris, Mundo potius, aut tuis sensualitatibus totam te non subdideris. *Punct. II.* Homo rationalis repræsentat in se Dei imaginem, per memoriam assimilatus Patri, per intelligentiam Filio, per Voluntatem Spiritui San- S. Bern.

cto: Vide igitur, & attentè considera, utrum easdem potentias, quas soli Deo in gloriam impendere obligaris, è contra in ipsius non abutaris offensam? *Memoriam* scilicet illicitis occupando objectis: *Intellectum* varijs, & vanis subtilitatibus, ac inventionibus, ad tui ipsius impendendo complacentiam: Voluntatem in eligendo, non quod Deo placet, sed quod tuæ commodum sensualitati? *Punct. III.* Magna profectò Dei miseratio, quod inter infinitas Creaturas possibiles, quæ nunquam erunt, tibi dederit esse actuale: inter tot rerum Creaturum individua: insensibilia, aut irrationalia, te tamen non solùm in esse viventis, in esse rationalis, sed imagine Divinitatis suæ insignitum, & hæreditatis vitæ æternæ capacem condiderit. Sed quam ingratus tanto beneficio? eandem Dei in te imaginem, varijs deturpas excessibus, & peccatis. Redeas igitur ad cor, & adusque malèfacta, seriò impostèrum emenda.

Sabbatho. Punct. I. Considera Christum dixisse Pharisæis *Reddite, quæ sunt Dei Deo.* Ut ex inde discamus, si cuiqve qvod suum est, reddere obligamur; qvantò magis nos, qvi in Religione omnibus titulis, & rationibus Dei sumus, nulli alteri, nisi Deo cum omnibus nutibus & actibus nostris, totos nos Deo reddere debeamus? *Punct. II.* Grande nefas erat filiorum
1 Reg. 2. Heli, quod Deo Sacratas ex Altari surripuerint oblationes: qvantò gravius tu committis scelus, dum cor, & corpus tuum, qvod Deo per Sacram devovisti Professionem, sacrilege surripiens, Mundo, & profanis usibus impen-

pendis. Redde igitur, qvod est Dei Deo. *Punct. III*, Considera qvàm gravem subditus suo Principi faceret illusionem, & injuriam, qvi in reddendo justitiali censu, loco auri, vel argenti, viles offerret paleas; Hoc certè nos facimus, dum locô fervorosæ Orationis, distractiones: loco vigiliarum somnolentiam, loco paupertatis luxum, pro Castitate immunditiam, pro Obedientia propriæ Voluntatis pertinaciam Deo reddere præsummimus. Non sic impij non sic: sed *Vovete, & reddite vota* Psal 75 *vestra* Deo, multò enim melius est non vovere, qvam votum. non adimplere. Eccl. 5.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTES.

Evangelium *Loqvebatur JESUS ad turbas, ecce Princeps unus. Math:* 9.

Punct. I. COnsidera, qvaliter Evangelicus Princeps, præmaturam Filiæ suæ mortem coram Christo deploret dicens: *Filia mea modo defuncta est.* cujus exemplo omni die, & hora præmediteris, incertum etiam tuæ mortis momentum, quod *hora, quâ non putatis Filius hominis venturus sit.* Luc. 12 Caveque nè inter Mundanos vivens strepitus, immemor hujus fatalitatis securus dormias. *Punct. II.* Christus Dominus, tot vividis parabolis de Morte insperata, non nos terrefacit, nisi ut cautos faciat: non minatur, nisi ut contra insperatam mortis irruptionem, continuò vigilantes

reddat: tardè enim de apparatu bellico cogitat, qui hostem videt, ex improviso irrumpentem: nec de tempore qværendæ provisionis, ad grande Maritimum iter, ubi jam expansa vela, impetuosus propellit Ventus. Ita cogita, & provide nunc, dum tempus habes, quæ tunc provisa, & comparata habuisse voles, ubi ea providendi non amplius tibi concedetur tempus! *Punct. III.* Nemo prudens, inter tumentes Oceani fluctus, naufraga ludit in tabula, nec ab ingenti præcipitio pendulus; cogitat repetere scelera: neque inter armatos hostes, quisquam inermis hilarescit: Stolidior profectò his omnibus tu fores, si omni momento habens Mortis periculum, hilaris tamen, illa perpetrare auderes, quæ irreparabilem animæ tuæ afferunt perniciem, totaque æternitate punienda servantur.

FEria. 2. *Punct. I.* Considera, quod Christus Dominus in suscitatione mortuæ Filiæ Principis, *Cum vidisset tibicines, & turbam tumultuantem dixit: recedite.* Cujus Divino facto docemur: Deum vix aliqvando in multitudine hominibus locutum fuisse, sed dum aliquibus innotescere voluit, à communi freqventia segregatis, vel per nocturna Silentia, aut in campis, & solitudine, sive segregatis Montibus se manifestavit. Confundere hic Anima Religiosa, cui Cella carcer, & publicum confabulationis forum, placens Paradisus, signum est, quod tibi non cum Deo, sed cum hominibus placeat familiaritas. *Punct. II.* Sanando Christus surdum, *apprehendens eduxit eum de turba*

seor-

seorsum. Nam quos Deus etiam à vitijs curat, opportet ut prava vitent consortia atque à communi hominum consortio, per latam perditionis viam ambulantium seqvestrentur. Unde exclamat Carthusianus dicens: Et tu Religiose! existimas te, inter Mundanos hominum strepitus obtinere, quod familiares Deo Servi, intra horrida deserti antra, post multos annos, cum amaro planctu vix impetrarunt. *Punct. III.* Meritò Pisci de aqva caput sublevanti, industriosum subscribitur Lemma: *Moriar, si eggrediar.* quô Symbolô Religiosa signari debet Cella: Nam sicut limitibus Solitudinis Claustralis, vita facilè conservatur spiritualis, ita foras extra illos egressi, nisi meritò Obedientiæ muniantur, mille lapsus mortalis subeunt discrimina. Ama igitur Cellæ solitudinem, ut te Deo amabilem, & hostibus animæ formidabilem reddas. Marc. 7. Dionys.

FEria. 3. Punct. I. Considera, Christum Dominum tres, sed diversimodè suscitasse Mortuos, per quos triplex signatur peccatorum status: Sic *lapsi* ex fragilitate, figurantur in Filio viduæ, solo imperio suscitati. *Relapsi* in Filia Principis, quam Salvator tenens per manum sublevavit, tibicines, & tumultuantem populum recedere jussit. *Consvetudinarij* signantur per Lazarum, supra quem suscitandum Christus Orans, & fremens ingemuit, ac clamavit: *Lazare veni foras.* Ecce quam difficilè consvetudinarij relevantur ad vitam spiritualem. Vide nè sis unus, de infelici illorum numero? *Punct. II.* Per Sacramentum Luc. 7. Math 9. Joan 11.

Pœnitentiæ, in Peccatore ad Deum converso, remittitur quidem culpa, sed adhuc remanet pœna, in hac, vel altera vita luenda, ac præterea radicatus manet habitus, qui hominem semper ad relapsum incitat, & vires ad perseverandum in bono debilitat. Ecce quam infelices peccati reliqviæ! *Punct. III.* Postqvam Lazarus à Christo resuscitatus è Sepulchro prodivisset, adhuc tamen ligatus erat, donec ipsum solvi præcepisset. Ita peccator habituatus, licet per pœnitentiam resurgat ad vitam gratiæ, vinculis tamen pravorum habituum manet constrictus, ut non tam facilè in via Virtutis progredi possit. Ergo tam grandè malum exhorrescas, nê cum Psalmista ingemiscere cogaris: *Funes peccatorum circum-*
Psal.118. *plexi sunt me.*

FEria. 4. Punct. I. Considera, Christum dixisse: *Non est mortua puella, sed dormit,* quia Mors justorum, non est illa horribilis fatalitas, sed dulcis somnus, & reqvies: qvemadmodum etiam Apostolus, *in Domino mortuos, vocat*
1.Thes sal.4. *dormientes.* Sicut enim homo dormiens, facilè excitatur à somno suo, ita Justi in die Judicij, celerrimè evigilabunt è somno mortis, ut cum corpore,& anima, à Christo Judice glorificentur in Cælis. Cura qui hæc audis, nê in resurectione mortuorum, nunquam amplius suscitandus, à morte infelici absorbearis. *Punct. II.* De Morte Justorum canit Psalmographus: *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce*
Psal 126 *hæreditas Domini.* Qvia Servis Dei, Mors est dulcis, post sudiferos labores reqvies: post præ-

lium victoria: post deplorabile exilium, recuperata pingvis hæreditas. Qvi ergo in hac lachrymosa miseriarum valle, continuis undique premeris adversitatibus, cura, ut moriaris morte justorum, & sic dulci perfrueris qviete, in gloria Sanctorum. *Punct. III.* Mors Justorum, meritò dicitur *Somnus*: qvia Vigilantes Servi Dei, post diuturnas excubias, svaviter qviescunt, securi ab hoste, liberi à periculo, expediti à pœna, certi de sua gloria. Unde S. Pater Franciscus vicinus morti, quamvis acerbissimis agitaretur doloribus, canebat, & Fratres ad canendum secum invitabat, quia svavi cantu ordinariè dulcis procuratur somnus. Cantabis & tu jubilans in morte Franciscane, si Patriarcham tuum strenuè immiteris in Regulæ ipsius observatione.

FEria. 5. Punct. I. Considera, quod sicuti mors Justorum, est svavis quidam Somnus, ita è contra, horridus nimiùm est peccatoris è vita præsenti exitus, testante Propheta: *Mors peccatorum pessima*, quia ad lumen mortualis in manu candelæ agonizans, clarè illa videbit, quæ nunqvam vidit, experietur quæ nunquam cogitavit, & graviter sentiet, quæ nunqvam cognovit: Interroga ergo temetipsum, utrum morte peccatorum mori velles, si autem hanc meritò expavescas, vive igitur vita Justorum, cùm ordinariè, *qualis vita, mors est ita. Punct. II.* Considera, inobservans Religiose, dum adhuc tempus habes, qvantum in agone cruciabit animam tuam, mordax ille dolor? dum quasi in speculo videbis totam vitam tuam Religiosam,

Psal. 35

ſam, irreligioſè tranſactam, Vota Deo ſtrictè promiſſa, ſed laxiſſimè obſervata: Videbis te fuiſſe bonum œconomum, ſed malum Religioſum: bonum Prædicatorem, ſed vitâ malefactorem: laudabilem Profeſſorem, ſed vituperabilem Profeſſionis inobſervatorem. Ergo nunc dum adhuc tempus habes citò emenda, quæ tunc emendata fuiſſe voles. *Punct. III.* Conſidera, qvantis premitur anguſtijs ille Carceratus, qui impetuoſo ſtrepitu à lictoribus videt aperiri carcerem, ut pro ſuis facinoribus ad locum ſuplicij eductus, horribilia ſubeat tormenta: ſed longè graviores ſentiet cordis preſſuras agonizans peccator, dum ſupra ſe iratum videbit Judicem, intra ſe mordacem ſentiet conſcientiam, circa ſe Dæmones habebit inſultantes, infra ſe denique conſpiciet flammivomum os inferni hians, ad ſe deglutiendum! O! anguſtiæ horribiles, quas Religioſe Frater, nè tunc experiaris, nunc tibi provideas, ut Morte juſtorum moriaris.

FEria. 6. Punct. I. Conſidera, quod poſtquam Salvator dixiſſet: *Non eſt mortua puella, ſed dormit*, adſtantes deridebant eum, ubi quamvis Princeps, humiliter pro ſuſcitatione Filiæ oret, Chriſtus facere miraculum aggrediatur, adſtans tamen ridet populus quia hæc eſt & noſtra infirmitas, quod facilius communiter aliorum defectus, quam opera, & exempla bona immitemur, potiuſque cum multis peccamus, quam cum paucis, quæ noſtræ obligationis ſunt, obſervamus. *Punct. II.* Inter malè viventium exempla, memineris Religioſe! i-

emit

emittenda Professione, appromissionis tibi factæ: non si vixeris, prout alij vivunt, sed si Observaveris, quæ Deo vovisti, *promitto tibi vitam æternam.* Ut ergo hanc securius assequaris, non abusus, non malorum exempla, sed quod Sancta præscribit Regula, exeqvaris.

Punct. III. Si vixisset Nôe, prout in Orbe corruptæ carnis vixit genus humanum, certè cum eisdem aqvis diluvij interijsset: Si Loth vitam Sodomitarum pessimam immitatus fuisset, sinè dubio cum suis Concivibus, ultrici de Cælo igne absumptus fuisset: Si Tobias cum Assyrijs vitulos aureos adorasset, simul cum cæteris à gratia, & gloria rejectus mansisset. Ergo & tu licet unus inter plurimos Legis prævaricatores inveniaris; observa constanter Regulæ præcepta, & cæteris à Regno Dei exclusis, solus Felix Salvus fies. Genes. 6 Genes. 13 Tob: 1.

Sabbatho. Punct. I. Considera, quod postqvam Christus Dominus suscitasset à mortuis Filiam Principis: *Exijt fama hæc in universam illam terram.* Cujus occasione de *Bona fama*, scire expedit, quod monet Ecclesiastes: *Curam habe de bono nomine.* Licet enim propriam laudem pro sui complacentia, nulli qværere liceat, bonam tamen famam, qvia hæc, & nobis expediens, & toti Communitati plurimùm utilis, ideoque ipsa à nobis reqvirit Charitas, ut eandem & qværamus, & diligenter conservemus, sicque juxta Apostolum: *Christi bonus odor efficiamur.* Eccl: 41. 2. Cori: 2. n

Punct. II. Homo sive Religiosus nullius famæ, & Scandalosus, quamvis alijs deprædicet, ac svadeat Virtutes, aut optima quæque com-

commendet, quisqve cogitabit, vel dicet: *Medice prius cura te ipsum.* Conventus, vel Communitas infamata, non ad compassionem, & charitatem sibi præstandam, sed potius quemlibet contra se ad odibilem commovet indignationem. Qvi ergo ex Professione mendicitatis, aliorum sublevatione indigemus, prius sattagamus, ut eisdem per bonam famam, & irreprehensibilem vitam commendabiles reddamur. *Punct. III.* Commonet illa vivendi regula:
Cato: *Omnia si perdas, famam servare memento*;
nam & Salomon subscribit: *Melius est bonum*
Prover: 22. *nomen quam divitiæ multæ.* cùm cunctæ opes sint homini extrinsecæ, & cum ejus vita, finem habituræ: Boni nominis autem fama, & gloria, etiam post mortem crescit, ideoque ut bonum homini magis intrinsecum, quàm omnes divitiæ terrenæ, majori studio qværendum, & conservandum.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTES.

Evangelium. *Cùm videritis abominationem Desolationis. Math.* 24.

Punct. I. COnsidera, Christum Dominum multa de finali Judicio juxta Danielis Prophetiam prædixisse Apostolis, ubi tandem conclusit dicens: *Qui legit intelligat.* Cujus Divino doceamur monito: Non quod multa legisse, sed etiam ex uno, vel altero textu, attentè perpenso, fructum percepisse

animabus nostris salutare est. Qvod ergo legis, non festinanter, & distractè percurras, sed ut ex Verbo Dei fructum capias, attentè qvietè, conferens ea in corde tuo, qvæ legis, revolvas. *Punct. II.* Manna illud Cæleste, qvasi semen coriandri in esum populo Israelitico depluens, non ut tale collectum manducabatur, sed prius in farinam conteri debuit, & ex eadem Panis, sive qvodcunqve cibi genus præparatum; omne delectamentum saporis, & robur nutritionis comedentibus tribuebat. Ita & nos, ut ex Manna Verbi Dei, Spiritualem gustum, & nutritionis animæ robur habeamus, non illud transeunter deglutiamus, sed per sedulam in corde attentionem ruminemus. *Punct. III.* Comedere, & bibere propter solum gustum, & corporis voluptatem, est propositio damnata, ita damnabiliter legis, qui solam curiositatem, & vanam complacentiam, non verò Spiritualem utilitatem in libris qværis. Numer. 11.

FEria. 2. *Punct. I.* Considera, qvaliter Christus Dominus, præcedentes finale Judicium explicans calamitates, ut quisque tutiori loco salvet animam suam svasit dicens: *Fugiant ad montes.* Ex quo Fratres magnam nostram agnoscamus felicitatem, quod ad Sacram Religionem, ex Mundanorum consortio, tanqvam ad securum spiritualis Solitudinis Montem, educti simus. Sed eò magis simul ultricem manum Dei expavescamus, si in hoc Sacro recessu constituti, magis Sæcularia, quam Monastica negotia tractemus. *Punct. II.* Religio Sacra juxta Math. 24.

San-

Sanctos Patres, figuratur per Montem Thabor, ubi meritò Religiosi dicere possunt. *Bonum est nos hic esse.* qvia à Cella ad Cælum facilis ascensus, quia Religiosis jure Paupertatis, specialiter promissum est Regnum Cælorum: quia in hoc Monte Religiosi, non solùm cum Christo, sed in ipsum Christum, per vivam ipsius immitationem transfigurantur. Sed tamen memineris O! Religiose! quod nequaquam Deo placere poteris per Solitudinem Montis, nisi simul à fæce Mundana, conservaveris puritatem mentis. *Punct. III.* Ultricem è Cælo ignem jussus declinare Loth, & salvare Animam suam, suorumque in Monte. Mirùm quod profugus ille Eremita, qui inter Sodomitas innocenter vixit, in Monte latitans, turpiter peccavit. Cujus lapsus nostra sit cautela, quod non locus Virum, sed Vir locum Sanctificet. Metuamusque nè in Sacræ Religionis Solitudine, gravius Deum, quàm si in Sæculo mansissemus, offendamus.

Math. 17 Math. 5 Genes. 19

FEria. 3. *Punct. I.* Considera, inter cæteras finale Judicium præcedentes angustias, dixisse Christum: *Væ! prægnantibus, & nutrientibus.* in qvem textum, sic differit Silveijra: Non est sermo de prægnantibus corporalibus, sed spiritualibus, de ijs nimirùm, qvi bona desideria, & proposita, tollendi peccata, & Virtutes plantandi conceperant, nunqvam tamen pepererunt, & opere compleverunt. Hæc nisi fratres & nos faciamus, per sola pia, & Sancta desideria, non gloriam, sed pœnam incurremus æternam. *Punct. II.* Sponsum

sum suum invitat Sunamitis dicens: *Videamus, si floruit vinea, & flores fructus parturiunt?* Cant. 7.
Ubi per flores designantur bona desideria, per fructum verò Sancta opera. Sicut ergo Vinea nihil prodest, si tantum floreat, & fructum non producat: ita etiam Deum Cælestem animarum nostrarum Sponsum, parum oblectat in vinea cordis nostri videre flores bonorum propositorum, nisi simul fructus Sanctarum operationum pariant. *Punct. III.* Velle in aliqva Virtute radicari, aut velle aliqvod peccatum efficaciter extirpare, est media ad talem finem asseqvendum habilia, viriliter arripere, qvantumvis essent molesta, & difficilia: & animum studiosè applicare superandis obstaculis, quæ se opponunt nostris propositis, estò vim magnam pateremur; est vitare peccandi occasionem, quamvis sensibus placidissimam. Tunc præconcepta nostra desideria, & Voluntates parturient fructum Sanctæ operationis: alioqvin neque dicendæ erunt proficiendi Voluntates: sed solùm simplices sinè ullo fructu velleitates. Magna igitur contentione sattagamus, ut Deo non solum Voluntate, sed etiam bonarum operationum executione placeamus.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, Evangelicum esse oraculum, quod ante finale Judicium: *Talis sit futura tribulatio, qualis non fuit ab initio Mundi.* Math. 24
Sancti Patres communiter docent, quod ejusmodi pressuræ, immittentur à Deo electis, loco pœnarum, quas pro suis venialibus peccatis, debuissent pati in Purgatorio:

Repro-

Reprobis verò, ut initia tormentorum Infernalium: Cùm ergo immissa à Deo tribulatio, sit satisfactoria pro pœna Purgatorij, libenter itaque sufferamus easdem in præsenti vita, ut graviora tormenta evitemus in futura. *Punct. II.* S. Augustinus, & cæteri Patres affirmant, quod pœnæ Purgatorij in sua acerbitate, non solum excedant Omnium Martyrum, quæcunque passi sunt tormenta, sed etiam crudelissimam ipsius Christi Passionem, quia dolor Animæ separatæ, pertinet ad statum futuræ damnationis, quæ excedit omne malum hujus vitæ, sicut gloria Sanctorum, excedit
S. Aqvin omne bonum præsentis vitæ. Qvi ergo hæc tormenta nondum pateris, illis, qui jam eadem patiuntur, succurrere charitativè digneris. *Punct. III.* Opus Deo facis gratissimum, & tibimetipsi plurimùm salutare, imò S. Gregorius dicit: quod liberans Animam è Purgatorio, ipsius apud Deum intercessione, à damnatione æterna præservabitur. Qvi ergò tot liberandi modos habemus Animas è pœnis Purgatorij, nè eosdem negligamus, ut venientes in eundem locum tormentorum, parem etiam ab alijs misericordiam consequamur.

FEria. 5. *Punct. I.* Considera, quod videndo homines terribilia portenta finale Judicium præcedentia: *Plangent omnes tribus terræ*: plangent dolentes, in offensa Dei præteritum effluxisse tempus, plangent ob horribiles præsentis tunc status angustias, plangent, ob imminens Severum Dei Judicium. Deplora igitur

tur tempestivè peccata tua, nam certum est dicente Augustino: quod cesset vindicta Divina, si conversio præcurrat humana. *Punct. II.* Non sunt nisi duæ ad Cælum viæ: Innocentiæ scilicet & Pænitentiæ. Qvi ergo cum Originali culpa à via innocentiæ deflexisti, ac continuis præterea actualibus peccatis Deum offendere non erubuisti: revertere tandem ad viam Pœnitentiæ, ut suo non interrupto tractu ad felicem Patriam peruenire valeas. *Punct. III.* Peccatorem certò vel Pœnitentia, vel Infernus expectat: pæniteas itaque pro delictis tuis, per breve vitæ præsentis tempus fructuosè, nè sine fructu pœnitere cogaris æternaliter in Inferno.

Feria. 6. Punct. I. In illo finali terribilis Judicij die: *Angeli congregabunt Electos*, quorum occasione magnum Prædestinationis arcanum multorum innaniter torqvet animas. Qvæstio enim: *Sum nè prædestinatus, vel non?* est præsumptuosa, & nociva. Præsumptuosa quidē, quia hanc Deus in arcano Judiciorū suorū latere voluit. Ergo qvare tu miser homo præsumis scrutari Secreta Judicia ejus? *Punct. II.* Velle scire utrum sis de numero Prædestinatorum ad gloriam? est curiositas nociva, nam hoc sciendo boni redderentur præsumptuosi, & intermitterent arduū proficiendi in virtutibus studium: Reprobi verò desperantes, in omne nefas dissolverentur, per quod omnium conditionum perturbaretur status: Ergo committas Deo, quod Deo facere placet, tu autem monente Apostolo: *Sattage, ut per opera bona, certam tuam* Math 24 ... etr. 1

Voca-

Vocationem, & electionem facias, sicq; in bono finaliter perseverando, indubitanter salvus fies. *Punct. III.* Certum est juxta Prophetam, quod Deus etiam Vitæ humanæ *constituerit terminos, qui præteriri non poterunt*, qvanta tamen diligentia facti infirmi, medicinis procuramus sanitatem? Qvantô apparatu Militari, parat contra Adversarium conflictum Belli Dux, ut ex eo triumphet. Qvanto labore scindit aratrô terram Colonus, granumque terræ injicit, ut suo tempore fructum colligat: quamvis tam Mors, quam vita, Victor, sive victus, sterilitas, vel fertilitas certò prædestinatæ sint à Deo. Qvidqvid ergo poteris in negotio tuæ salutis, non negligas, & Deus qui sincerè tuam vult salutem, quod ex parte illius est, non negabit tibi, Qvi etiam novit mutare Sententiam, si tu mutaveris vitam.

Job. 14.

S. Aug.

Sabbatho. Punct. I. Considera Christum docuisse Apostolos, ut ex præcedentibus signis, advertant futurum Judicij diem. ita & nos ex signis actionum nostrarum judicemus, qvid sperare debeamus. Sicut enim florescens arbor, signum indicat Veris, & decidentia ex eadem folia, proximè futuram hyemem: ita si floribus, & fructu bonorum operum abundes, certô affuturum tibi ver jucundum cum Beatis Cælitibus expectare poteris, si autem in virore, & vigore Religiosi profectus deficias, brumæ infernalis manet te rigor intolerabilis, *Punct. II.* Si tibi arduum videtur in Virtutibus proficiendi studium, tot Sanctorum

Job. 24.

anime-

animeris exemplo, qvi ijſdem corporis, & animæ ſubjecti fuerunt defectibus, commotionibus, & imbecillitatibus, qvibus nos impugnamur, has tamen vicerunt, & ſtrenuè ſuperarunt. Si ergo potuerunt hi, & hæ, cum Dei gratia, qvare non tu Auguſtine? *Punct. III.* S. Aug.
Conſidera fervidam habitudinem in Petro, violentiam in Paulo, affectum ad Mundana in Magdalena, pravam conſvetudinem in Auguſtino, ſceleratam deniqve vitam uſqve ad mortem in Latrone, & tamen omnes iſti, & illis plurimi ſimiles, refloruerunt in exemplares Dei Servos. Cur igitur ſterileſcamus, remiſſione fervoris, rigida hyeme congelati, ut & nos in gloriam Dei, & Religionis ornamentum non floreamus?

DOMINICA I. ADVENTUS

Evangelium *Erunt ſigna in Sole, & in terris. Luc.* 12.

Punct. I. SI qvando mentem tuam ô! anima Religioſa fortis occupavit ſtupor, hodie, vel maximè, admirabundus conſidera: qvaliter hac prima Adventus Dominica, ſub ipſis adhuc noctis tenebris, maturo Vigilantis excitati ſtrepitu, ad lampadis, & candelarum lumen, per Conventum diſcurrimus, Qvo commonemur indicio; qvod dies Adventus Domini, magna, & amara valde, hora, qvâ minimè putamus, ſicut fur in nocte ita veniet, ubi ſeverus Judex, omnia dicta, facta, & cogitata,

Soph: 1. commissa, & omissa à nobis *Scrutabitur in lucernis* clarissimæ cognitionis suæ. Semper itaque paratus esto, ut eidem de his omnibus rationem
Joel: 3. reddere valeas. *Punct. II.* Terribilis, & amara valde, erit extrema Judicij dies, ubi in Valle Josaphat omnes judicabimur; sed habemus quod prius exhorrescamus, particulare scilicet Judicium, quod unumquemque nostrum in egressu animæ expectat, à quo plus nostræ dependet felicitatis, vel miseriæ, quàm ab Universali omnium resurectione: Si enim parti-
Luc 9. culari in Morte Judicio, *Fideles Servi* inventi fuerimus, non utique amplius reprobandi, sed inter Beatos, die illo, publica Judicis Sententia, digni Cælesti gloria declarabimur. Sit ergo nobis Fratres hoc ultimum vitæ nostræ instans, maximo in pretio, cum ab hoc nostra felix, sive infelix dependeat æternitas! *Punct. III.* Fidei dogma est, teste Apo-
Hebr . stolo, quod: *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem Judicium.* Sicuti ergo communi lege, omnes morimur, ita post mortem omnes judicabimur, non quod Christus localiter ad judicandam Animam, ubi homo moritur, descendat, sed eô momento, quo quis moritur, Anima intellectualiter elevatur, ad Judicialem operum suorum rigidissimam discussionem, Sententiæ felicis, sive infelicis cognitionem, & simul in pœna, sive gloria sui collocationem. O! admirabile momentum, absorbens sæcula vitæ hominum!

FEria. 2. *Punct. I.* Considera, quod eô ipso momentô, quô Anima separatur à corpore,

ſeparatur ſimul à Mundo viſibili, à Creaturis omnibus, ab Amicis, & Inimicis, ceſſat frui tempore, & abſorbetur ab æternitate, ſola ſtatuitur ſoli Deo præſens. Qvid ergo tibi Religioſe cum Mundo, & omnibus pompis, ac commoditatibus ejus, ſi tandem brevi relictis his omnibus, coram ſevero Judice comparere debeas Judicandus? *Punct. II.* Homo natus de Muliere, brevi vivens tempore, inter tantas Creaturarum conſtitutus varietates, mentem habet ſenſibilibus diſtractam objectis: ſed poſtquam Mors homini, omnes corporales clauſerit ſenſus, tunc primò ejus mentales aperiet oculos, ubi clarè videbit, quidquid mali commiſit, aut boni omiſit. Nè igitur vivendo cæcutias, anima Religioſa, maturè prævideas, quod poſtmodum in morte, cum tui ſolatio videas, non ad pœnam, ſed ad gloriam tibi fuiſſe reſervatum. *Punct. III.* Factus Religioſus, nonnè Mundum, Parentes, Amicos, & quid quid habere poteras, amore Dei reliqviſti? ut his nudatus, luctamen cum maligno hoſte, tranſiturus de hoc Mundo expeditius abſolveres, & ſemper cor tuum ab affectione temporalium purum, ac liberum cuſtodires. Qvantus igitur erit pudor animæ tuæ in Dei Judicio, ſi te in Religione plura habuiſſe, quam in ſæculo reliqviſſe inventus fueris? Job. 14. S. Greg.

FEria. 3. *Punct. I.* Conſidera, quod Deus, qvantùm ſit dives, & inexhauſtus, in ſua erga nos Miſericordia, donec vivimus: ita erit terribilis, & Severus, poſtquam vita functi, in ejus Judicio comparuerimus. Qvi ergo peccaſti in

Patrem, donec Pater clementissimus est, deprecceris offensum: nam postqvam Severi Judicis assumpserit personam, non nisi miser condemnaberis ad pœnam. *Punct. II.* Deus populum Israeliticum per desertum ad Terram Exod.15 Promissionis ducens, *præcedebat per diem in Columna nubis, & per noctem in columna ignis.* quô figurabatur: quod Christus quamdiu vivimus, diebus vitæ nostræ futurus erat lenis, ac blandus, ut nubes: sed in nocte Judicij sui, ostendet Corn: à Lap: se veluti ignis formidabilis. Curre igitur, & festina ad illam felicem Promissionis Patriam, qvamdiu tibi, hæc candida gratiarum nubes, aureum Misericordiæ distillat rorem: quia Judicaturus, non nisi ignita in caput tuum vibrabit fulmina. *Punct. III.* Contremuit tota Polonia, dum sub Casimiro IV. Rege, appa- 1462. ruit in Cælo supra Posnaniam effigies Crucifixi, cum gladio prius Sangvine cruentato, postmodum pallido, ad ultimum nigrescente. Sed longè horribilius apparebit Severus Judex peccatori, non tam in pallore, quam in ipso ardore ignis devorantis. Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, veniam exoraturi, quousque ex Vulneribus ejus, abunde fluit Oleum Misericordiæ: nè postea pereamus, dum ex eisdem in peccatores promanabit Sententia perennis miseriæ.

FEria. 4. *Punct. I.* Considera, quod post separationem Animæ à Corpore, ubi jam omnia materialia ab oculis evanuerint objecta, & solus Peccator, coram solo Deo Judice constitutum se viderit, infundetur ei illa lux clarissi-

riffima, quæ in confcientia ejus deteget finè ullo inftigatore, aut Accufatore, etiam quofvis minimos defectus: & hoc ut dicit Apoftolus: *Teftimonium reddente illis confcientia eorum.* in qua tanqvam clariffimo Speculo, omnia tunc apparebunt. Qvod ergo modo fecretè Confiteri erubefcis ad veniam, illud tunc palam recognofces ad pœnam. *Punct. II.* Confcientia tua o! Peccator, erit ille *Liber, qui fcriptus proferetur, in quo totum continetur.* Modò enim quamdiu paffionatè, aut alicui vitio alligatus vivis, vocem monentis, & latratus remordentis te confcientiæ, non curas, vel non advertis, fed tunc coram Tribunali inexorabilis Judicis, eadem tua Confcientia, erit infenfiffimus Accufator tui, fimul & Teftis. Cura igitur ut impofterum diligentius advertas ftimulos monentis Confcientiæ, ut in Dei Judicio, gaudere merearis favore Beatorum Sententiæ. *Punct. III.* Siquidem Confcientia tua, in Dei Judicio contra te ipfum Accufator, & Teftis futurus, nemo igitur eidem blandiatur, fed hanc fæpius, & feriò examinet, nè tunc feverus Judex reprehendat, quod modo eadem confcientia coram te occultat. Præcavet namque S. Chryfologus: Nè in Dei Judicio Judicemur, modo Judices noftri fimus. Serm: 167.

FEria 5. Punct. I. Confidera, Chriftum præmonuiffe fuo Evangelio: quod homines in DEI Judicio, *reddituri fint rationem de omni Verbo otiofo,* per quam fuam doctrinam certos nos effe voluit, nullam dari actionem, nullum poffe præteriri defectum, five etiam cogitatio- Math 12.

nem, de quibus tunc Severo Judici, ſtrictam non obligaremur reddere rationem. Ne igitur vel minimum contemnas defectum, cum tibi reddendæ rationis, magnum importet pondus. *Punct. II.* Conſidera, quod ubi Solis radius penetraverit in Cubiculum, quàm minutiſſimi per aerem volitantes conſpiciuntur athomi, qui prius etiam claro die non videbantur: ita poſtqvam Deus lumine ſuæ cognitionis perfectæ, illuſtraverit animam, tunc primò clare quoſvis minimos cognoſcet defectus, quos antea nunquam adverterat. Ora igitur cum Propheta: *Illumina oculos meos Domine, ut Sciam quid deſit mihi. Punct. III.* Lignum quod ſplendeſcere noctu videtur, claro die putridum eſſe deprehenditur. Ita multorum opera in præſenti Vita opinione hominum magnifica, & laudabilia æſtimantur, multæ hypocriſes pro vera Sanctitate celebrantur, & è contra: Poſtquam verò Judicij illuxerit dies, omnia ſine fictione, ſed prout in ſua veritate erant, apparebunt. Qvid ergo de operibus tuis in oculis hominum gloriaris, ſi tunc coram Deo de ijsdem erubeſces?

FEria. 6. Punct. I. Conſidera, qvaliter morti proximus S. Hubertus Epiſcopus Leodicenſis, ad circumſtantes dixerit: Conſidero ex una parte, illam Sanctitatem, quam meus exigit ſtatus, & ex altera parte, nimis exiguam huic correſpondentiam, dum terribili Judicio Dei præſentandus appropinquo, multum exhorreſco, nè mihi dicatur: Serve nequam, nonne opportuit te cum talentis meis fructuoſe ne-

gotia-

gotiari? Ita nobis metuendum Fratres, Status Professionis nostræ magnam à nobis exigit Sanctitatem, & nos dissolvimur in omnimodam laxitate: quomodo ergo in Judicio Dei Servi infideles præsentabimur? *Punct. II.* Interrogatus unus ex antiqvis Eremi Patribus, qui totam vitam in austerissima impendit pœnitentia, qvamdiu Deo servisset? respondit, *forsan nec una hora.* Numeramus & nos, multos Religionis annos, sed coram Deo Judice ad meritum nostrum forsan nec una invenietur hora: computamus Lecturæ, Prædicaturæ, variorumque Officiorum, plura triennia; sed fortè ex his coram Deo nec una appretiabitur hora? videris tibi prolixum in Orationibus, & Meditationibus impendisse tempus, sed fortè in his omnibus Deus Judex nec unam debitè impensam reperiet horam? *Punct. III.* Considera, Israelitas in amarum prorupisse planctum, post quam Esdras, violatam ab eis legem palam explicasset. Sed qvantò magis acerbus cruciabit animam Religiosi dolor, quando Christus Judex ob oculos ipsi proponet, totalem suæ Regulæ transgressionem, tot abusus in Religionem introductos, tot sæculares malo suo exemplo scandalizatos, & confratres in rigore observantiæ relaxatos. De his ergo omnibus monente Propheta: *Ante Judicium interroga te ipsum* dole, emenda: *& in conspectu Dei invenies propitiationem.* 2. Esdr. 8 Eccl: 18.

Sabbatho. Punct. I. Considera, profundâ mentis attentione, Deum, *coram quo mille anni, sicut dies hesterna, quæ præterijt*, ita dispensare Psal: 89.

 tem-

tempus, quod unô eodemque momento, ſtri-ctiſſimum cum Anima abſolvat judicium: & ſimul eandem pro qvalitate meritorum, vel demeritorū, aut aſſummat in gloriam, vel ſua finali Sententia ad ignem condemnet Purgatorij, ſive Inferni, prius ibidem arſuram, quàm corpus exanime frigefactum fuerit. O! Judicium ſinè dilatione! o! Sententia ſinê appellatione! & ego huic indubitanter ſubjiciar! *Punct. II.* Conſidera dum incarceratus, ad audiendam ſuam finalem educitur Sententiam, o! qvantum ſibi tunc favorabilem præſtolatur Judicem, qvàm anxiè circumſpicit, ſi in ſua cauſa, efficacem poſſit habere Patronum? Ergo Fratres, quamdiu Judex placabilis eſt, *Venite & procidamus ante eum, & præoccupemus faciem ejus in confeſſione.* Si enim à vinculis peccatorum abſolvemur Sententia Sacramentali, neque amplius condemnabimur rigore ejus Judiciali. *Punct. III.* Conſidera, quid tibi tunc proderit, quod omnes vitæ hujus commoditates ad nutum tuum habueris, primis honoribus, & præeminentijs cumulatus fueris: ſi in momento *Vox Domini confringentis Cedros*, diſſipantis Montes, & exſiccantis Mare, ab his omnibus te abjudicatum, in pœnis, & ignominia æterna, tanqvam fulgur decidens conſtituet. Ergo nunc lugeas potius cum pœnitentibus, ut tunc Sententiâ Judicis, aggregeris perpetuò gaudentibus.

Pſal: 28.

§§§§

DO-

DOMINICA II. ADVENTUS.

Evangelium. *Cùm audijsset Joannes in vinculis opera Christi. Math.* 11.

Punct. I. COnsidera, præter Judicium particulare, quod unusqvisqve nostrum, egressâ de corpore animâ, subire debebit, expectat nos præterea Judicium Universale, ubi de pulvere Mortis horribili voce tubæ Angeli excitati, in Vallem Josaphat congregabimur. Joel: 3. Qvidqvid igitur facimus, ita operemur, quasi continuò sonaret hæc vox in Auribus nostris: *Surgite mortui, & Venite ad Judicium!* S. Hieron: *Punct. II.* Considera, necessariam fore universalem Corporum resurectionem, sicut enim corpus fuit animæ individuus comes, in operibus bonis, sive malis, ita justum est, ut homo simul cum corpore, & ânima, publica Christi Judicis Sententia, dignus pœna, sive gloria declaretur. Sic igitur vivens corpus tuũ castiga, & in servitutem Spiritûs redige, ut in hac utriusque reunione, felici Beatorum consortio uniaris. *Punct. III.* Considera, hoc duplex Judicium expressisse Apostolum illis verbis: Apoc: 20. *Et libri aperti sunt, ex quibus mortui judicabuntur. Et alius liber apertus est, qui est vitæ.* In Morte enim judicatur peccator qvatenus est particularis homo, & quô ad Animam: Judiciô verò universali Judicabitur, prout est pars totius generis humani, & quô ad corpus ac Animam. Ora igitur cum Ecclesia:

Libe-

Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda, dum veneris judicare Sæculum per ignem.

FEria 2. *Punct. I.* Considera dixisse Apostolum: 2. Corint 5. *Omnes nos manifestari opportet ante Tribunal Christi.* qvia qvicunqve incipiendo ab Adamo, usqve ad ultimum hominem, qvi nascitur est, sive etiam in Matris utero suffocatus, huic tremendo sistetur Tribunali. Qvantus tunc erit Universi fragor, lapidum scissura, & totius globi terræ commotio, ubi cineres cujusvis compositi hominis secernentur, in ossa, & compages coalescent, & omnes in ætate plenitudinis Christi comparebunt? *Punct. II.* Diem finalis Judicij considerans in spiritu Joel Joel: 2. Propheta lamentabatur dicens: *Ululate omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, dies tenebrarum, & caliginis, qvalis non fuit à principio, ante faciem ejus ignis vorans, & post eum flamma exurens, neqve est, qvi effugiat eum.* Non effugiet Rex, neqve Mendicus, non Potens, neqve inops, non dives, neqve pauper, omnes enim tunc conditione naturæ homi- ad Gal: 6. nis coæqvati, *unusqvisqve solùm onus suum portabit*, prout fecit in vita, bonum, sive malum. Considera quo onere tu gravatus, in hac Universali compariturus sis Convocatione. *Punct. III.* Si qvando tunc vel maximè com- 1. Corint: 7. plebitur dictum Apostoli, qvod *prætereat figura hujus Mundi.* Nam Triregia, Coronæ, & quarumvis dignitatum evanescent insignia: Urbes, Castella, arces munitissimæ, & qvidqvid majestatis Mundus habet, in pulveres redigetur,

tur, solus homo, sicuti nudus de utero Matris natus, ita rursùm nudus de visceribus terræ resurget Judicandus. Non aliter ergo intuearis qvidqvid ostentat Mundus, quam figuram brevi transituram, & solam quære Virtutem perpetuò te felicem reddituram.

Feria. 3. *Punct. I.* Considera, Christum Dominum pro statu viæ, & vitæ nostræ esse in peccatores Clementissimum Patrem, sed extremo Judicij die, futurum terribilem Judicem: nunc mansvetissimus Agnus, tunc rugiens Leo: nunc manus ipsius gratiarum refertæ hyacinthis, tunc sangvine inebriatis armabuntur Sagittis; nunc Caput ejus redimitum iride, svavissimæ pacis Symbolo, tunc procedet de ore ejus gladius ex utraqve parte acutus. Ergo o! anima Religiosa, provide tibi nunc, nè severus Judex tunc Sagittas furoris sui in te compleat. *Punct. II. Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, dixit Apostolus: sed multò horribilius est incidere in manus Dei Judicantis, tunc enim, sicut in die triturationis summens Paterfamilias ventilabrum in manus suas permundat aream, segregando purum granum, & paleas proijciendo in ignem, ita tunc Judex vivorum, & Mortuorum armatus gladio Justitiæ veniet, ut Justos, Salvet, & impios condemnet. Utinam cum Justis tunc segregemur! *Punct. III.* In Horto Gethsemani postqvam Christus Salvator Cohorti, qvi eum comprehendere venerant, dixisset: *Ego sum, Abierunt retro, & ceciderunt in terram.* Considera, si Judica-

Isai: 53. Amos. 3. Cant: 5. Deute: 32 Apoc: 10 Apoc: 1

Hebr. 10

Math: 3

Joan: 18 S. Augusti.

dica-

dicandus hoc fecit, quid Judicaturus faciet! uno authoritativo verbo, qvamvis satis benigno, qvasi fulmine, prosternit Milites, qvid faciet, qvando veniet, non ut Salvator, sed ut Judex terribilis? Recurre igitur ad Christum, qvamdiu tui Advocati Personam gerit, & Ora: Non intres in Judicium cum Servo tuo Domine, qvia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur ei remissio.

Romani 2. *FEria. 4. Punct.* I. Dies ultimi Judicij vocatur ab Apostolo: *Dies iræ, & revelationis.* Ubi considera, qvod postqvam Christus terribilis Judex in majestuoso consederit Tribunali, stipatus gloria, & potestate magna tum assistentium Angelorum, quam suæ Sanctissimæ Matris, ac Virorum Apostolicorum, qvi *obviam* 1. Thessal: 4. *Christo rapientur in aera*: relictis super terram reprobis, revelabuntur singulorum Conscientiæ, & infundetur cuilibet notitia clarissima, qvod omnes semagis ad invicem, qvam qvilibet se ipsum cognoscent, & totius vitæ cogitata, dicta, facta, ac ommissa perfectissimè videbunt. *Punct. II.* Modo sceleribus secretò laxans habenas dicis: *Nemo circumspicit, quem verear?* sed Eccl. 23 tunc, dum Liber ille Conscientiarum apertus proferetur, in qvo totum scriptũ continetur, unde Mundus judicetur. Cognoscent se omnes ad invicẽ, cognoscent perfectissimè omnes vitæ suæ nutus bonos, ac malos, non solum in facto, sed etiã cum omnibus gradibus malitiæ, circumstantijs, modo, & finibus intentis. O! qvanto in conspectu totius Mundi suffunderis pudore, qvi modo

modo in secreto Peccare non erubescis. *Punct. III.* In illa tragica, publicationis Conscientiarum Scena, revelabitur Prædestinationis arcanum, cur unus assummatur, alter relinqvatur, reserabuntur arcana fidei, & Mysteria adusqve à sæculis abscondita, cognoscent omnes, cur boni afflicti, & via impiorum prosperata, cognoscentur status, gradus, & stimuli gratiarum Dei, qvibus si cooperati fuissemus, salvi esse potuissemus. Cognoscent deniqve Beati, qvidqvid ad perfectam status eorum spectat felicitatem: & Reprobi, qvod eos gravius per totam cruciabit æternitatem. O! tragædia deplorabilis! omnes, qvi hæc modo auditis, & illa indubitanter visuri!

FEria. 5. *Punct. I.* In illa ferali diei extremæ Tragædia, juxta infallibile Christi Oraculum: *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Justorum.* Ubi considera, quod quamdiu in præsenti vita sumus, boni malis, scelerati Sanctis, fideles infidelibus permixti manemus: tunc primò ad occursum Christi Judicis, Electi à Reprobis separabuntur: & illi quidem à dextris tanquam Oves mitissimæ, ad Cænam Agni immaculati invitandi: isti verò utpotè hædi insolentes, ac fætidi, æterno igne assandi, à sinistris statuentur. Implora igitur gratiam Judicis, dum adhuc tempus habes: *Inter Oves locum præsta, & ab Hædis me seqvestra, statuens in parte dextra. Punct. II.* Considera quam acerba sit futura die Judicij illa separatio, ubi impius Caim videbit Fratrem Abel, Dives Lazarum, Herodes Joannem Nero Pau-

Math. 13

Paulum, triumphantes, imò & Judicum Officio fungentes, se autem à Divino conspectu repulsos, ad pœnas destinari. Per Deum igitur viventem consule qvantocyus sorti tuæ, nè fortè cum quibus peccare consveveras, aut tuo malo exemplo condemnaveras, illis tunc aggregatus, & tu perpetuò condemneris. *Punct. III.* In præsenti Vita, sæpè boni affliguntur, & mali de rebus suis pessimis triumphant, Vita impiorum prosperatur, & fideles Dei Servi in miserijs despiciuntur. Tunc primò Peccatores ab ijs repulsi, stridebunt
Sap: 5. dentibus suis, & tabescent, dicentes: *Hi sunt quos habuimus aliqvando in derisum, & in Similitudinem improperij, ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Dulce igitur sit tibi o! Anima Religiosa, contemni pro Christo, & mortificari, siquidem illo extremi Judicij die cum perpetuò gaudentibus segregaberis.

Feria. 6. Punct. I. Considera, quod post separationem Electorum à Reprobis, discussis omnium Conscientiarum minutis, qùilibet statum Vitæ suæ, & cujuslibet alterius, justo Dei Judiciô recognôscet Approbatum, vel Reprobatum. Ubi tandem Justus Judex conversus ad Electos, serena facie, ac blanda voce,
Mat. 25. publicabit Sententiam. dicens: *Venite Benedicti Patris mei, possidete Regnum.* O! qvantum erit gaudium Electorum, dum ad illam felicem invitabuntur Hæreditatem, ubi non amplius Servi, sed Filij, cohæredes, & Amici Dei vocabuntur. *Punct. III.* Considera, quod post la-

tam

tam in Electos, perpetuæ Benedictionis Sententiam, Severus Judex, fulmine Maledictionis feriet Reprobos, dicens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum. Non eritis posthac populus meus, & ego non ero Deus Vester.* ut vobis per totam æternitatem quidquam boni amplius præstem, sed qvamdiu ego Deus, ita vos à me maledicti, Diabolorum futuri in tormentis Socij. O! Domine, hic ure, hic seca, & omnia etiam tormenta Diaboli in me veniant, dummodo tunc in æternum à te non separer. *Punct. III.* Feralis hæc Reproborum Sententia: *Discedite à me maledicti.*, jam ipsos perpetuò à Regno Cœlorum exhæreditabit, jam nullus ipsorum dicet amplius. *Pater noster, qui es in Cælis:* qvia Deum non jam Patrem, sed per totam æternitatem, crudelissimum offensarum súarum sentient Vindicem. Jam nullus MARIAM Matrem Misericordiæ, aut Sanctos appellabit Amicos; sed in furore, & rabie maledictionis, contra eos summæ indignationis evoment latratus. Sic igitur vive, ut hic, & in æternum laudes Patrem Cælestem, non verò inter ploratus, & ululatus infernales, maledictionem ingemines scelestem. Osee. 1.

Sabbatho. Punct. I Considera, quod post latam in Sanctos, & Reprobos finalem à Supremo Judice Sententiam, dicit Sacer textus: *Ibunt hi in supplicium æternum: Justi autem in vitam æternam.* neque erit necesse, ut Damnati à Dæmonibus ad infernum propellantur, tantum enim ipsis irati Judicis vultus, incutiet horrorem, quod potius malint exuri in inferno, Matth. 25

quam

quam in illo tremendo præsentari Judicio. Clauso tandem infernali Carcere, apponet Deus æternitatis Sigillum, ut sinè ulla spe veniæ, aut redemptionis in æternum torqveantur. Tu adhuc stas liber ante infelicem illum Carcerem, sic ergo vive, né paulò post incarcereris! *Punct. II.* Qvando Populus Israeliticus
Exod. 15 sicco vestigio pertransiens Mare, vidit submersorum Ægyptiorum cadavera in littus ejecta, Cecinit Moyses cum omni populo gratiarum Actionis Deo Canticum dicens: *Cantemus Domino, gloriosé enim magnificatus est, currum Pharaonis, & Exercitum ejus projecit in Mare: abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.* Ita Omnes Sancti non condolebunt infelicitati Damnatorum, sed glorificabunt Deum, quod cum illis fecerit Justitiam, secum autem misericordiam. Utinam Victores de Inimicis nostris, mereamur & nos hocce Cantico laudare Deum per totam æternitatem. *Punct. III.* Considera, hunc Mundum cum omni-
Psal: 32 bus Creaturis, *Verbô Domini Creatum*, á qvinqve millibus septingentis, viginti, & aliqvot, annis in admirabili rerum varietate subsistere, post finale autem Judicium perpetuò affuturum illud Magnum Sabbathum, quod nullus amplius futurus sit motus Syderum, aut generationis succeßio Creaturarum: sed qvamdiu Deus erit Deus, in omni statûs perfecti felicitate, regnabit cum Sanctis suis in Cælo: & Damnati omni genere pœnarum perpetuò torqvebuntur in inferno. Ecce hic omnium finis, quem si credas, vitam tamen non emendas, lapidem non cor, pectore geris. DO-

DOMINICA III. ADVENTUS

Evangelium. *Miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes. Joan:* 1.

Punct. I. Considera, Pharisæos misisse ad Joanne, ubi in Carcere detinebatur, ut interrogarent eum? *Tu quis es?* Sicut ergo Pharisæorum Ministri stant ante Carcerem, responsum expectaturi, ita profunda mentis reflexione condescendamus hodie *Ad portas Inferi*, & imaginemur nobis, qvasi videremus Voraginem illam immanem, fumo, flammis, & omni tormentorum genere repletam, Ubi qvisqve semetipsum interroget. *Tu quis es?* utrum propter malam vitam, non etiam futurus ejusdem Carnificinæ incola? *Punct. II.* Ex propria experientia adæqvatam nobis dives Epulo, reliqvit Inferni definitionem, dum illum appellavit: *Locum tormentorum*, ibi enim *omnis dolor irruet super eos*, qui nec calamo describi, nec ore proferri, neqve mente excogitari possit. Sicut enim nullus intellectus creatus sufficienter imaginari potest, qvanta Deus præparavit in Cælo, diligentibus illum, ita neqve comprehendere, qvanta disposuit in Inferno tormentorum genera pro illis, qvi Ipsum offendunt. Si te ergo Amor Dei à consvetis non refrænat vitijs, saltem horror pœnarum retrahat. *Punct. III.* Considera ante illam flammivomam Inferni Voraginem constitutus, qvasi audires gemitus, ululatus, maledi- Luc. 16. Job: 20.

ledictiones infelicis turbæ damnatorum, ubi temetipsum interroga: *Tu quis es?* Nonnè pridem easdem promeritus es pœnas? nonnè plurimi ibidem ardent, qvi minus, qvàm tu peccarunt? Redi igitur ad cor, vitam emenda nè paulò post & tu detrudaris in hunc locum tormentorum.

FEria. 2. *Punct.* I. Considera, naturam Ignis Infernalis, qvod scilicet: estò sit ejusdem speciei cum sublunari, multum tamen differt Virtute, & efficacia. Sublunarem enim Deus creavit in servitium, & commoditatem hominum, Infernalem verò dispofuit ut instrumentum suæ vindicativæ Justitiæ, ad torquendos Dæmones, & Damnatos. qvi estò materialis, potentiâ tamen obedientiali elevatur ejus activitas, ad torqvendos Spiritus, & animas, qvasi forent materiales. *Qvis igitur ex vobis, volet habitare, cum hoc igne devorante?* *Punctum.* II. Ignis Infernalis à S. Augustino vocatur: *Sapiens*, à S. Chrysostomo: *Rationalis*: siqvidem non omnes æqvaliter exurit, sed juxta majorem, vel minorem peccati gravitatem, in qvemlibet Damnatum, auget, minuit, vel etiam si illuc condescenderet omnis peccati expers, nullam in eundem sui ardoris exerceret acerbitatem, O! qvam Justa Dei Judicia? qvi pro qvalitate delictorum, in illis etiam ardoribus sempiternis, præordinat tormentorum mensuram. *Punct.* III. Considera, si ex ordinatione Divina, juxta Sanctos Patres Ignis Infernalis, appellatur *Sapiens*, & *rationalis*. qvantùm tu miser homo, dici de-

beas

beas insipiens & irrationalis? qvi in præsenti vita, eâ carni, & effrænatis passionibus indulges, qvæ tunc ignis Infernalis habiturus sit æternale nutrimentum.

Feria 3. Punct. I. Cosidera, testante Scriptura: *Qvantum qvis glorificavit se in delicijs, tantum ei dabitur de tormento.* Nam in pœnis Inferni, patientur omnium qvidem Sensuum cruciatum, plus tamen eorum, per qvos inordinatæ capiebant voluptatis: *Non ergo Anima* Religiosa sint tibi à Deo Sensus concessi, pænarum fomenta, sed majoris meriti per eadem lucrandi incitamenta. *Punct. II.* Sanctæ Catharinæ Senensi, datum est semel videre horrendam Dæmonis larvam: qvæ dixit se potius velle, ad extremum usque Judicij diem, in fornace accensa exuri, quàm secundò idem monstrum conspicere. *S.* Bonaventura testatur: quod unum ex Cadaveribus Inferni in superficiem terræ protractum, sufficeret fætore suo, ad inficiendum sævissima peste totum Mundum. Qvantùm igitur futurum, in illa voragine infernali tormentum, ubi tot, & tam horribilia videbuntur spectra? tot fætida damnatorum Cadavera, cruciabunt odoratum? *Punct. III.* In Damnatis *exardescet sitis, & famem patientur ut Canes, Bibent de Vino iræ Dei:* ac denique pro tormento *gustus. Ignis, & Sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Auditus continuis affligetur ejulatibus, rugitibus, ac maledictionibus. Tactus verò per omnia membra torqvebitur, dentibus Draconum, morsu Vermium, ac crudelissima pœnanali-

Apoc. 18

Psal. 58
Apoc. 14

nalium instrumentorum, Vindicê Dei Justitiâ paratorum adhibitione. O! crudelis Carnificina, quæ tamen nulli noces, nisi seipsum sponte illuc præcipitaverit!

Feria. 4. Punct. I. Considera, *potentias animæ*, in illo infelici damnationis statu, habituras suos distinctos cruciatus. Sicut enim naturaliter, omne corpus suum appetit centrum, sinè quo plene qvieſcere non potest: ita cùm Animæ nostræ centrum sit Deus: dicente Augustino: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Jam verò damnatus, intelliget se remotissimum ab hoc felici centro; qvantum igitur *Intellectus*, perpetuæ violentiæ patietur tormentum! *Punct. II.* Considera, quod *Memoria* proponet ante oculos Animæ omnia objecta delectabilia, quibus in vita damnabiliter fruebatur, tuncque exclamabit: *Gustans, gustavi paululum mellis*, 1. Reg. 4.
qvanta mea cæcitas, quod pro momentanea voluptate, fluxa delectatione, tenuissimo lucello, hos mihi æternos comparaverim cruciatus. Qvi ergo hæc audis, memineris, nè pro gutta mellis, integrum absorbeas mare amaritudinis. *Punctum. III.* Considera, qvantùm *Voluntas* damnatorum torqvebitur, dum semper id volent, quod nunqvam erit, & nunqvam id volent, quod semper erit: nam *vellent mori, & Mors fugiet ab eis.* Apoc. 9. Nollent cruciari, & perpetuò cruciabuntur. Unde prorumpent in rabiem, & desperationem extremam quia omne *desiderium peccatorum peribit.* Psal. 111 Sicqve præter pœnas aliunde acerbissimas, sibi metipsi facti

torto-

tortores, sua continuò exacerbabunt tormenta. Hæc igitur considerans, quod jam illis factum, nè tibi fiat, cave.

FEria. 5. *Punct. I.* Considera, quod inter cætera Damnatorum tormenta, crudelius cujuslibet animam affligat *Vermis Conscientiæ* de quo dicit Propheta: *Vermis eorum non morietur.* Jsai. 66. Nam videntes se propriâ culpâ exclusos à Regno Dei, quod conseqvi poterant, hæc fortis apprehensio qvasi Vermis qvidam, continuò rodet cujuslibet Conscientiam, inexplicabiliter, dolendo se perdidisse infinitum bonum, & incurrisse infinitum malum. Provideas igitur Conscientiæ tuæ, nè hoc verme perpetuò rodatur. *Punct. II.* Considera Sanctos Patres affirmare, quod in Judicio finali Reprobis ostendetur Cælestis gloria, & Beatæ illæ Sedes, qvas suâ culpâ amiserunt, & alij locô eorum posséderunt. Qvantùm igitur cruciabitur cor Judæ, dum perpetuò in mente ipsius versabitur, qvaliter sibi paratam in Cælis gloriam, & à se neglectam, Mathias possederit: & sic de omnibus alijs dicendum. Vide igitur nè & coronam tibi in Cælis paratam accipiat alter. Apoc. 2. *Punct. III.* Considera, quod cùm in illa generali Extremi Judicij Conscientiarum revelatione, qvilibet cognoscet, sufficientem se habuisse gratiam, cui si cooperatus fuisset, Salvari potuisset, Hæc igitur clara cognitio, in Conscientia cujuslibet Damnati, illum crudelem progenerabit Vermem, qui eô gravius rodet animam, quô se cognoverit, minus fuisse cooperatum gratijs Divinis. Nè ergo & nos

nos Fratres, serò jacturam ejusmodi deploremus, seriò quod adusqve male fecimus, emendemus.

FEria. 6. *Punct. I.* Considera, Damnatorum cruciatus, non tantum esse summos, sed etiam æternos. Cruciabuntur non tantùm per totam æternitatem, sed etiam omni momento cruciabit eos æternitas. Semper enim recogitabunt: quod hic patimur, per totam æternitatem patiemur. Post milliones millionum sæculorum, neqve unum momentum decrescet æternitati. Qvanta igitur amentia, pro momentanea præsentis sæculi voluptate, eligere torqveri tota æternitate? *Punct. II.* Considera, quod homo in statu peccati mortalis ex hac vita decedens, perpetuò etiam in eodem durat reatu, cùm jam amplius non sit in statu, & via retractationis, sed in termino punitionis. Sicut ergo in peccatore durabit perpetuò culpa, ita etiam debita eidem culpæ, in æternum durabit pœna. O! status infelix, nulla amplius mutatione alterandus. *Punct. III.* Sicut Deus erit æternum misericors, *Salvandos salvans gratis*: ita in punitione reproborum, erit in æternum Justus, parem habens gloriam ex sua erga Beatos Misericordia, quàm erga damnatos ex Justitia. Tua solùm O! miser homo vertitur causa, nè Justitiæ rigorem, sed potius Misericordiæ Dei, totâ æternitatê sentias favorem.

Sabbatho. Punct. I. Considera, inter omnia damnatorum tormenta, maximam fore: *Pœnam Damni*. quæ proveniet ex carentia *Visionis*

Beati:

Beatificæ. Sicut enim perfecta Beatitudo consistit *in clara Dei* Visione: ita hac perpetuò privati, maximum cruciatum, & summum reportabunt damnum. Cùm ergo te Deus creaverit, ut eodem perpetuò fruaris, ita nè vives? ut à Visione ipsius Beatifica in æternum excludaris? *Punct. II.* S. Justinianus dicit: *Interminabilis Divinæ Visionis carentia, dolores superemínet universos.* quia pœna Sensus inferiorem duntaxat cruciat hominis portionem, *pœna autem damni*, pertingit usqve ad summum animæ cruciatum, ubi se cognoscit, propriâ culpâ, summo bono esse privatam. Inter utramque es constitutus æternitatem, lucrum, vel damnum ob oculos tuos versatur, elige quod voles? *Punct. III.* In omni peccato Mortali, duo occurrunt consideranda, *aversio* scilicet à Deo Summo Bono, quod est malum infinitum, & huic etiam correspondet *pœna damni* infinita, quia privat bono infinito. Alterum est *conversio ad Creaturam*, qvod sicut est malum finitum, cùm actus Creaturæ non possint esse infiniti, ideoque huic malo correspondet pœna Sensus, quæ ex se est finita, nisi conservaretur à Deo in infinitum. Utrumque ergo malum patieris, si te à Deo per contemptum Legis ejus averteris.

DOMINICA IV. ADVENTUS

Evangelium, *Et videbit omnis caro salutare Dei. Lucæ.* 3.

Punctum. I. C Onsidera, qvod sicut pœnæ Inferna-

fernales à nullo intellectu creato sufficienter comprehendi possint, ita multò minus gaudia Cælestia immaginari valent: Qvantam enim peccatum meretur calamitatem, tantam Amor Dei meretur felicitatem: qvam Deus creavit pro hominibus, Infernum verò pro Dæmonibus. Tua igitur erit culpa, si te Cælo subtraxeris, & in infernum spontè detruseris. *Punct. II.* Qvô majoris sunt excellentiæ, & momenti merces, gemmæ, & qvæcunqve bona, eô majori pretio æstimantur; cùm ergo Gloria Cælestis per peccatum amissa, non nisi infinito meritorum, & Sangvinis pretio Xti solvi, ac redimi debuit, Signum est, qvod bona illa infiniti sint valoris. Cave ergo, nè eadem pro vilissimo vendas minuto. *Punct. III.* S. Augustinus de Magnitudine gloriæ Cælestis dicit: Qvod Deus præparavit diligentibus se, fidê non capitur, spê non attingitur, charitatê non comprehenditur, desideria, & vota transgreditur, acqviri pôtest, æstimari non potest. Cùm enim finiti ad infinitũ nulla sit proportio, ideoque quidquid de illa intellectus boni, pulchri, delectabilis imaginetur, semper minus est, quia finitum est. Ibi autem bonum infinitum, quia semetipsum revelat Deus, iis qui diligunt illum.

FEria. 2. *Punct. I.* Considera, sicut olim Duces Romani, debellatis feliciter hostibus, cum incredibili splendore, & apparatu, in Capitolium Urbis invehebantur. Ita Frater Religiose! certa viriliter, dimica fortiter contra Carnem Mundum, & Dæmonem, capitales Ani-

mæ

mæ hostes, ut in Capitolium Cælestis gloriæ, triumphaliter ab Angelis deportari merearis. *Punct. II.* Considera, qvantæ felicitatis futura sint Patriæ illius Cælestis gaudia? Angelorum Choris interesse, cum Beatissimis Spiritibus, gloriæ Conditoris assistere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, ac perpetuæ incorruptionis munere lætari. Si ergo tibi in præsenti sæculo transitoriæ placent prosperitates, qvantò magis ad æternas suspirare debes? *Punct. III.* Considera, quàm magnus nos in Cælo Parentum, & Amicorum expectet numerus, qui jam de sua felicitate securi, sed de nostra adhuc Salute soliciti. Ad hos itaque Fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus, & cum his citò esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus. S. Gregor. S. Cypr.

FEria. 3. *Punct. I.* Considera, duplex gaudium haberi à Beatis in Cælo: *essentiale* scilicet, quod consistit, in clara Dei Visione, *Et accidentale*, quod in cæteris animæ, corporisque bonis fundatur: eritqve tantum, ac tale, ut nullus Beatorum plus sibi optare poterit, nec quid ibidem tale erit, quod haberi nollet, sed in plenissima omnium felicitatum pro gradu meritorum, erit possessione. Sicut recognovit Propheta dicens. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* *Punct. II.* Considera, quod in Cælo omnes Beatorum Sensus, sicut eis fuerunt instrumenta meriti in via, ita qvilibet eorum, Sanctis, castis, & inennarabilibus oblectamentis præmiabitur in Patria. Et quemadmodum Psal. 16.

dum ſpongia in Mare projecta, impletur quidem, & totaliter penetratur aquâ, ſed univerſam Maris aqvam in ſe non capit, ita Beatus in Cælo, totus quidem replebitur delicijs, ſed amplitudinem totam deliciarum abſorbere
Pſal. 83. non ſufficiet. O quam ergo dilecta tabernacula tua Domine! concupiſcit anima mea in atria Domini. *Punct. III.* Corpora Beatorum præterea qvatuor dotibus glorioſis præmiabuntur: *Claritate* ſcilicet, quâ fulgebunt pluſ-
Pſal. 103 qvam Sol, *amicti hac ſicut veſtimento. Subtilitate*: dum etiam montem adamantinum, ſive quodcunque ferreum corpus, eadem facilitate, quâ radius Solis cryſtallum, penetrare poterunt. *Agilitate*, nam ad omnem animæ nutum, ſine moleſtia, tanquam cogitatio ab extremo ad extremum pertingere in momento poterunt. *Et impaſſibilitate* quod à nullo amplius agente extrinſeco pati, aut offendi poſſint. Qvam ergo felix præſentis vitæ paſſio, quæ tibi æternam conciliat impaſſibilitatem?

FEria. 4. *Punct. I.* Conſidera Potentias Animæ, in illo felici Beatitudinis ſtatu plenè ſatiandas: nam *Intellectus*, non per aliquam ſpeciem, ſed in ſe ipſo immediatè videbit cla-
1. Joan. 3 riſſimè Deum, dicente Apoſtolo: *Tunc videbimus eum, ſicuti eſt.* quæ eſt eſſentialis omnium Beatitudo. Ora igitur cum Propheta: *Oſtende nobis Domine faciem tuam, & ſalvi erimus.*
Pſal. 75. *Punct. II.* Conſidera, qvantum *Memoria* in illa felici Patria habebit oblectamentum, dum ſe reflexerit, quod pro tam modico labore, exigua mortificatione, brevi Votorum obſervan-

tia,

tia, æternam à Deo recipiat mercedem. *Non enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad tantam gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8 Vim igitur tibi facias, in ijs omnibus exeqvendis, quæ tibi tantam merebuntur gloriam. *Punct. III.* Considera, qvaliter *Voluntas* Beatorum absorpta in Deum nullum concipiet desiderium, quod non impleatur, nam in illa felici Patria. quod Deus vult, & Beati volent: & quod Beati volent, Deus eorum explebit desideria, quia non aliter volent, quam ipse Deus velit, cùm enim Vitam vixerint Divinam, unius etiam cum Deo erunt voluntatis. Qvi ergo amore Dei Voluntates nostras in præsenti mortificamus, tunc omnia nostra desideria plenissimè satisfacta habebimus.

Feria. 5. Punct. I. Considera, sicut essentialis Beatitudo consistit in clara Dei Visione, & ut aliqvi probant, simul perfecta Summi illius boni fruitione: ita felices ijdem Comprehensores habentes intellectum per lumen gloriæ elevatum, & roboratum, clarê videbunt Dei Essentiam cum omnibus Perfectionibus, Attributis, natura, generatione, Unitate, & distinctione Personarum. Ita ut quod pro statu præsentis Vitæ Subtilissimus neqvit attingere intellectus, hoc pro illo felici termino clarè videbit, & intelliget Beatus. *Punct. II.* Considera, quod Beati clarè in Deo videbunt, quid quid tota egerit æternitate. videbunt Decreta, & Judicia ejus, Mundi creationem, ac conservationem, hominum, ac Creaturarum admirabilem gubernationem. Cognoscent denique

nique tanquam in Speculo libero, quidquid ad perfectam cujuslibet pertinet Beatitudinem. Gaude igitur Beata Simplicitas, quia te Sapientiorem omnibus Mundi Doctoribus, faciet tunc Visionis Beatificæ felicitas. *Punct.* III. Considera, quod in Cælesti Patria admirabiliter naturam suam Beatis communicet Deus, dum ab illis clarè videtur, Visus possideatur, ac possessus reciproco amore ametur: ubi Anima Beata, quamvis naturam suam non amittat,
2. Petr. 1 *consors tamen Divinæ naturæ effecta*, magis in ea Deus: quàm propria natura cernitur, exemplo ferri candentis, aut carbonis igniti. O! ignis Amoris Divini, accende cor meum, ut me tandem convertas in amatum!

FEria. 6. *Punct. I.* Considera, juxta illud tritum Philosophi dogma: quod *Opposita juxta se posita magis elucescunt*: nam album cum nigro collatum, magis albescit: ita per istud Sacrum Adventuale tempus vidisti Anima Religiosa Spirituali mentis oculo, tremendam Judicij Extremi Scenam, considerasti horribiles inferni pænas, & simul quasi è diametro oppositam contemplatus es Gloriam Cælestem; Stas itaque in bivio, unum, vel alterum finem attingendi, per Salutem igitur Animæ tuæ, vide quod eligas? *Punct. II.* Considera, Vitam tuam tenui pendere filo, quô dum minimè speras ruptô, duas ante te habens æternitates, felicem scilicet: & infelicem, in unam, vel alteram ex illis, ut inevitabiliter incidas necessum est. Apperi igitur oculos, dilata cor tuum, & justo rationum pondere con-

vince

vince Voluntatem tuam, ſicut Deus non ad caduca hujus Mundi, ſed ad bona Cæleſtia te creavit, ita ſattage, ut illis contemptis, his perpetuò fruaris. *Punct. III. Ante hominem vita, & mors bonum, & malum, quod placuerit, dabitur illi* dicit Propheta. Cùm verò commoneamur, ad magna præmia perveniri non poſſe, niſi per magnos labores. Ergo fructuoſè labora, ſalutariter deſuda, Vota Deo facta, exactè obſerva, quidquid denique in Religione moleſtiarum occurrit, patienter tolera, & hoc ſolùm medio felicem aſſeqveris æternitatem: aliter facta electio tua, indubitanter perniciosa. Eccl. 15. S. Greg.

In Vigilia Nativitatis D. N. J. C.

Punctum. I. CONſidera, recurrentem hodie memoriam, qvaliter S. Joſeph, cum prægnante Beatiſſima Virgine, Edicto Regis obtemperans, venerit Bethleem, ut tributum ſolveret, & familiæ ſuæ nomen in Tabulas Cenſuales referret: ſed non invenientes Hoſpitij locum, ad vile extra Oppidum Præſepe, divertere coguntur. Si te inurbanitatis erga incolas illos accendit zelus, reſpice te ipſum, utrum taliter diſpoſitam habeas conſcientiam, ut novus in Orbem Hoſpes, cras apud te condignam habere poſſit manſionem? *Punct. II.* Cùm aliqvando Beatiſſima Virgo reclinare vellet in ulnis Catharinæ de Riccis Infantem JESUM, qvæſivit humilis Virgo: quonam modo ipſum dignè tractare poſſet? Reſpondit MARIA. *Filio meo humiles, & Obedientes*

tes per omnia placent. Ut ergo & tu Anima Religiosa, condignè cras in sinum cordis tui Neonatum Salvatorem reclinare merearis, per omnia, in Religione semper Humilis, & Obediens esto. *Punct. III.* Sanctus Patriarcha Franciscus, construendi Præsepis in Ecclesijs, primus fuit inventor, ut eò vivacius cordibus fidelium excessum Divini Amoris, erga genus humanum, per tàm humilem Christi Nativitatem imprimeret, pro quo speciales à Deo obtinuit Cælestes favores. Qvos ut & tu Franciscane Fili, tanti Patris conseqvi merearis, profundâ mentis attentionê, hocce Magnum contempleris Mysterium.

IN NATIVITATE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Evangelium. I. *Involvit eum pannis, & reclinavit in Præsepio. Luc. 2.*

Punct. I. CОnsidera, Incarnationem, & Nativitatem Christi, tam esse profundum humilitatis exemplum, ut illud Apostolus non sciverit vivaciori explicare emphasi, qvàm appellando: *exinanitionem* dicens: *Exinanivit semetipsum.* Si enim Rex pro redimendo criminali Carcerato, semetipsum vinculis subijceret, ad-miranda dignatio foret: sed qvod Deus pro redimendo homine, homo fieri, Omnipotens fascijs infantilibus ligari, Ens infinitum, vili Præsepio arctari dignatus. Miraculū miraculorum exinani-

ad Phil. 2.

nanitionis est. *Punct. II.* Considera, qvod Verbum Divinum, subjiciendo se contemptui, paupertati, miserijs, ac probrosæ morti Crucis, non est ita mirum, qvia istæ sunt solùm appendices naturæ humanæ, qvam liberè assumpsit: sed qvod Deus, purus Spiritus, Omnipotens, æternus, infirmam, & his calamitatibus subjectam assumpserit Carnem. *Verbum Caro factum est.* Excessus amoris Divini erga genus humanū est, qvem sufficienter Angeli comprehendere, & Dæmones sine invidia audire non possunt. *Punct. III.* O! Divinitas tremenda! o! Humanitas amanda! magnus es in Cælo, sed parvus hodie in terra: ibi virtute Omnipotentiæ, regis Sydera, hic imbecillitate corpusculi sugis ubera, ibi sedes Majestuosus inter Angelos, hic in vili Præsepio, jaces inter bestias; ibi dives in Throno, hic pauper in fæno. O! Puelle Divine, qvi dulcissimis ignibus amoris tui, inflammas Seraphinos in Cælis, etiam vilem stipulam cordis mei, in qvo hodie jacebis, accendere digneris in terris. Joan. 1.

IN FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Punct. I. Considera, Sanctum Stephanum hodiernum Martyrem inter grandinem strepentium Saxorum. *Vidisse Cælum apertum, & JESUM stantem à dextris virtutis Dei* Actor. 7.

Cujus

Cujus heroico docemur exemplo, quod non inter affluentes Mundi prosperitates, sed inter duras Religionis asperitates, & cruentas pro Christo Passiones, merebimur apertum nobis videre Cælum, & JESUM intuebimur largissimum Patientiæ nostræ Coronatorem. Qvi autem pati detrectas, hoc ipso Coronari recusas. *Punct. II.* Stephanus nomine suo significat Coronam: sicut autem Coronæ, & Diademata Regum, pretiosis ornantur gemmis, ac lapidibus: ita Coronæ hodiernæ Sancto scilicet Proto-Martyri lapides, qvibus crudeliter occisus est, in pretiosum cesserunt ornamentum. Et tu Anima Religiosa, quotqvot dura, ac offensiva amore Christi, patienter tolleras verba, tot tibi in Coronam perennis gloriæ, inæstimabiles congregas margarittas. *Punct. III.* Considera, quod Passio, Mortificatio, exemplô Sancti hodierni Stephani, apperiat Servis Dei januam Regni Cælestis, signum igitur est, qvod Mundanæ voluptates eandem occludant. Qvi ergo in Sacra Religione subterfugit Cruces, & Mortificationes; & in solis vult vivere commoditatibus, certum est, qvod sibi non Cæli, sed Inferni portam apperiri parat, cum non aliter, nisi
Actor. 14. *per multas tribulationes opportet nos intrare in Regnum Dei.*

IN FESTO
S. JOANNIS EVANGELISTÆ

Punct. I. Considera, Petrum interrogasse de Joanne Christum: *Hic autem quid?*

cui

cui respondit Salvator: *Quid ad te? tu me sequere*. Ex cujus Divino disce responso. Non alienas scrutari Vitas, examinare mores, reprehendere defectus, dum nihil ad te pertinet. Sed inspice temetipsum, Utrum Christum seqvaris, & qvod in Sancta Vovisti professione diligenter exeqvaris. Hoc enim commune inter nos vitium, qvod alios perfectos haberi volumus, & tamen proprios non emendamus defectus. Kemp. *Punct. II.* S. Joannes Evangelista vocatus in Collegium Apostolatus, fideliter assistebat Christo, non solum in gloriosa Transfiguratione, Ultimæ Cænæ sumptione, sed etiam in probrosissima Crucifixione. Nos autem hic confundamur Fratres: qvod libenter Christo assistamus, qvamdiu nos pascat dulci pane consolationis, subterfugimus verò, ubi simul cum eo bibere obligaremur amarum Calicem Passionis. *Punct. III.* Si quæras de Sancto Evangelista cum Petro: *Hic autem quid?* Respondent Sancti Patres, qvod Joannes fuerit Virgo, Martyr, Apostolus, & Evangelista: omnibus his Statibus, & Officijs, cæteros præcellens Apostolos. Sed si qværatur. *Tu autem quid?* fateberis fortè qvod etiam ad varia in Provincia fueris promotus officia: sed utinam eadem ita executus, ut de ijs coram Deo glorificeris, non verò ut Servus negligens, & infidelis pænaliter judiceris.

§§§§
§§

IN

IN FESTO SANCTORUM INNOCENTIUM.

Punct. I. TRipliciter poteſt conſiderari, Martyrium in ordine ad Cæleſtem Palmam: Intentione ſcilicet, & effectu, ſicut paſſus eſt S. Stephanus, & Intentione, ſed ſine effectu: uti S. Joannes Evangeliſta. Et effectu, ſed ſine intentione, defectu uſus rationis, ut hodierni Sancti Innocentes. Conſideremus igitur Fratres, nè qvartum in nobis reperiatur Martyrij genus, non jam ad palmam, ſed ad pœnam, ubi effectu quidem = ipſo in Religione multa patimur, defectu tamen patientiæ, & bonæ intentionis, nihil nobis perindè apud Deum meremur. *Punct. II.* Cùm nocte qvadam Religioſi poſt Vigilias ſederent in Capitulo, & devotè legerent, facta fuit vox de Cælo ad Beatum Chriſtianum ibidem orantem dicens: *Iſti omnes, quos hic vides in Capitulo, Martyres ſunt.* Vigilemus itaque aſſiduè in obligationibus noſtris, legamus freqventer, lectaque juxta Regulæ Sanctæ præſcriptum exactè obſervemus, ut Cælo teſte etiam nos, incruenti Martyres declarari mereamur. *Punct. III.* Audite S. Pontificem Gregorium pro noſtra eruditione ita perorantem: *Quamvis nobis occaſio perſecutionis deſit, quamvis colla non ſubjiciamus, ſi tamen ſpirituali gladio, Carnalia deſideria in mente trucidamus, Martyres ſumus.*

Belovac Spec: hiſt:

Homil: 3 in Evan:

Dome-

Domesticum itaque habemus in membris nostris hostem, cui viriliter resistamus, vim faciamus, strenuè concupiscentias Carnis expugnemus, & pretiosam cum Martyribus merebimur accipere Lauream.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Evangelium. *Erant Joseph, & MARIA Mater JESU mirantes. Luc. 2.*

Punctum. I. CONsidera, Simonem Justum prædicasse de Christo, quod *positus sit in ruinam, & resurectionem multorum.* Sicut enim Medicus, quamvis præstantissimus, non affert infirmo sanitatem sed potius Mortis accelerationem, si contraria ejus præscriptis adhibeantur remedia: ita Cælestis noster Medicus, *venit curare, quod erat infirmum,* sed nostrâ accidit culpâ, quod contraria ipsius mandatis adhibentes remedia, non in resurectionem melioremur, qvinimò gratias ejus, in majorem salutis nostræ ruinam convertimus.
Punct. II. Considera, Anima Religiosa, quod in hac eademque, in qua tu manes Religione, duodecim Capitulis Regulæ, præscribi tibi fecit Deus, efficacissima salutis, & sanitatis spiritualis remedia, quibus ab infirmitate curari, & à morte liberari, imò in resurectionis gloriam sublimari possis. Qvare ergo tam efficax salutis spernendo remedium, ex quo alij profecerunt, tu ipse perpetuæ habeas causam ruinæ?

Wad. Tom. XIV. *Punct. III.* Beato Cherubino Spoletano, apparens S. Hieronymus revelavit, ab exordio Regularis Observantiæ, qvadraginta qvatuor millia Religiosorum nostrorum evolasse in Cælum. Ex quo profunda mentis attentione reflectat unusqvisqve conscientiam suam: Si propter exactam ejusdem Regulæ observantiam, quam & nos Professi sumus, in tam magno numero Confratres nostri, felicem consecuti sunt Beatitudinem! & qvare nos eandem Regulam, nolentes sicut spopondimus observare, perpetuæ faciamus nobis causam ruinæ!

Die 30. Decemb. Punct. I. Fac tibi hodie Anima Religiosa, pium ad Præsepe Christi divertimentum, ubi attonitus considera quod postquam Incolæ Bethlehemitici, illum qui de Cælo in propria venit non recepissent, compulsus fuit Nativitatis suæ locum, in Suburbano qværere Stabulo. Professio Mendicitatis nostræ Fratres, sæpè & nos sub alieno tecto compellit qværere locum qvietis, qui si tibi negetur, aut incommodus assignetur, magnô spiritus solatiô cogita, te cum Christo relegari ad Præsepe. *Punct. II.* Considera in illa specu lapidea, communi Viatorum reclinatorio serviente, qvasi spirituali oculo videres, Sinu Maternô reclinari Infantem JESUM, lactê modicô pasci, fascijs constringi, frigori, & omnibus deserti illius loci incommoditatibus exponi. Qvi ergo venit, ut nos sibi aliquo modo faceret similes: Vide qvaliter dignetur se facere nobis similem, & nostrarum miseriarum participem? *Punct. III.* Considera, si NeoNatus

hic Orbis Salvator, *Conſtitutus eſt caput ſupra omnem Eccleſiam*, noſque membra ejus, ipſe Dominus, nos Servi: ille Dux, nos Milites: ipſe Magiſter, nos Diſcipuli: Qvàm ergo indignum foret, ſub hoc Capite, & Domino, in tantum ſe demittente, & uſque ad abyſſum nihili ſe humiliante, ut nos ejus membra tumentê ſuperbiâ inflati, prætendamus laudari, honorari, ac omnibus commoditatibus perfrui. Non enim licet Fratres, ſub ſpinoſo capite, membrum eſſe delicatum. Ephe. 1 S. Bern.

Die Ultima Decemb. Punct. I. Conſideremus Fratres, illorum Annorum, quos aduſque peregimus, hodie nos ultimum attigiſſe diem, ubi ſtamus in portu, reſpicientes Scyllas, & Charybdes, quas in Mari turbido, Viæ, & vitæ præſentis, cum ſummo diſpendij noſtri periculo ſuperavimus. Hæc gratiâ dexteræ Excelſi, cui humiles reddamus grates, quod dum plurimi inter eas, naufrago periêre caſu, nos miſeri adhuc ſuperſtites, ulteriori luſui fortunæ reſervamur. *Punct. II.* Hodie Fratres, finimus Annum, dum multi per Orbem finiunt Vitam: non ideo feliciores, quia ſuperſtites, ſed tunc primo feliciſſimi, si vita, moribus, & Religioſa perfectione evadamus, pluſquam aduſque fuerimus Obſervantiſſimi. Siqvidem noſtri ſtat ſumma lucri, non in *qvamdiu*, *ſed quàm benè*. *Punct. III.* Vita noſtra teſte S. Chryſoſtomô: *Non eſt theatralibus Scenis diſſimilis*, ubi unuſqviſqve, commiſſi ſibi actoratus, benè, vel malè, præſentat Perſonam, *Factus ſpectaculū Mundo, Angelis, & hominibus*. Undè- Seneca. 1 Cor. 4

morti proximus Imperator Augustus, qvæsivit à circumstantibus Ministris: *Satisne commodè Personam nostram hac Scena egimus?* Ita Fratres ad finem hujus Anni examinet qvisqve conscientiam suam. Satisnè commodè, & Religiosè Personas nostras hujus anni Scena egimus? Qvod autem benè actum deprehenderimus, Bonorum omnium Authori, gratias agentes adscribamus, quidquid verò mali nostra culpa factum, confundamur, & si Deus in Annum futurum Scenam Vitæ protrahere concesserit, seriò in melius emendemus.

Pro Festis Principalioribus B. M. V. & Sanctorum Ordinis.

IN FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS B. M. V.

Punct. I. CONsidera, singulare concessum MARIÆ Privilegium, qvod sicut ab æterno præordinata fuerit, Incarnandi Verbi Divini Mater: ita eô ipsô ab omni tàm Originali, qvàm actuali peccato, & Dæmonis captivitate præservata: Non enim decebat Christum, illam habere Matrem, qvam aliqvo instanti, Dæmon habuisset Servam. Per hanc ergo Immaculatam suam Conceptionem Virgo Sanctissima, ut nos ab immunditia actualium peccatorum præservet, suppliciter

citer exoremus. *Punct. II.* Hanc unicam Virginem Deo placuit, ex massa perditionis naturæ humanæ peccato infectæ seligere, veluti Rosam de spinis, Stellam de tenebris, & Gemmam de luto fæcis. Qvô enim pactô, Sangvis ille Virgineus, qvem Verbum Divinum assummere, & in expiationem delictorum nostrorum Patri Æterno, offerrè decreverat, prius labe originali fædatus fuisset? *Punct. III.* Deus præscriptô Legis: Patrem, & Matrem honorare præcepit, sed numqvid major fieri dishonor Matris Filij Dei potuisset? qvàm si aliqvando mancipari servitio Dæmonis permissa fuisset. Eadem Virgo Sanctissima cùm sit & Mater nostra: hanc itaque maximo cultu Filiali veneremur, ac puritate mentis, & corporis, omni studio immitemur.

IN FESTO NATIVITATIS B. M. V.

Punctum. I. CONsidera, nos miseros Adæ Filios, prius nasci reos iræ, quàm dignos gratia: prius mereri pœnam, quàm gloriam: sola Virgo Gloriosissima MARIA, cùm non solùm ab actuali, sed etiam ab Originali, imô etiam à debito proximo contrahendæ illius culpæ præservata fuerit, ideoque tàm in sua Conceptione, quàm Nativitate, à væ Adami libera fuit. Nos ergo, cùm unumquemque conceperit, & peperit in peccatis Mater nostra, supplices exoremus, ut MARIÆ patro-

cinio, à ſordibus actualium peccatorum liberemur, & in gratia Dei moriamur. *Punct. II.* Conſidera, MARIAM in ſua Nativitate gaudium attuliſſe Univerſo Mundo, quia hæc illuxit Orbi, quæ Salvatoris Mundi erat Mater futura. Ad Beatas igitur faſcias Diviniſſimæ hujus Puellulæ convolemus, ut ejus Patrocinio, à nexibus peccatorum ſoluti, libertate Filiorum Dei gaudentes, glorie mur. *Punct. III.* Ab ipſo Adami lapſu, ſub maledicto erat genus humanum, hanc primò maledictionem Benedictio ſuſtulit MARIÆ. Ubi meritis, & Paſſione Filij ſui donatur nobis Vita ſempiterna. Ora igitur, ut per Sanctiſſimam hujus Virginis Nativitatem, renaſcaris in ſpem vivam gratiæ, & gloriæ ſempiternæ.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. M. V.

Punctum. I. CONſidera, in Domo Nazarena, magnum hodie inter Deum, & Hominem, inter Juſtitiam, & Miſericordiam, inter Cælum, & Terram, agitari Tractatum Pacis: cùm enim homo per peccatum rebellis Deo factus, hoc ipſo etiam ut Criminis Læſæ Majeſtatis reus, à gloria, & hæreditate æterna abjectus manſit. Hodie primò Generi Humano, hæc fauſtiſſima illuxit dies, ubi Juſtitia, & Miſericordia, perpetuò Pacis fæderè oſculatæ ſunt, dum in Utero Virginali Deus Juſtus, homo miſericors fieri dignatus eſt. *Punct. II.* Conſidera, quod quemadmodū Deus

verbo oris sui *Fiat*: Cælum, & terram, ac omnia quæ in eis continentur Creaverit: ita MARIA consensu suo *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*. tam hominem per peccatum Originale perditum, quàm cætera ejus obseqvio condita recreavit. Undè meritò ab Ecclesia Reparatrix naturæ lapsæ dicitur. Qvod ergo & in nobismetipsis malitiosè destruximus, ut Divinæ hujus Reparatricis auxilio restauretur, humiliter imploremus. *Punct. III.* Considera, stupenda Bonitatis Divinæ in Utero Virginali facta hodie magnalia: nam Deus Creator omnium, factus Creatura, Deus noster, factus est Frater noster: Filius Dei, factus est Filius hominis. Consensu denique suo *Fiat*: MARIA apud Deum conciliavit pacem inimicis: salutem perditis: Indulgentiam reis: misericordiam desperatis, facta inter Deum, & homines Mediatrix, ajt: Hugo Cardinalis.

IN FESTO VISITATIONIS B. M. V.

Punctum. I. Considera, MARIAM Virginem, Verbô Divinô fæcundatam, abijsse cum festinatione in Domum Zachariæ, quàm primùm enim Mater Dei facta est, simul etiam Misericors in peccatores fieri dignata est, dicente *Richardo à S. Laurentio*: Cùm enim MARIA Misericordiam, id èst Christum genuerit, quid est aliud Uterus ejus? quam ipse Misericordiarum thesaurus? Ad hunc igitur fiducialiter confugiamus, ut gratiam, & miseri-

cor-

cordiam in necessitatibus nostris consequi mereamur. *Punct. II.* Considera, quomodo Beatissima Virgo, in Domum Zachariæ non rogata, nec invitata, cum festinatione tamen discessit, ut Joannem Benedicto Uteri sui fructu, à peccato mundaret: Zachariam mutum sanaret: & Elisabeth cum tota sua Domo Sanctificaret. Hæc enim Mater clementissima: *Ita liberalis est erga nos, quod absque nostris deprecationibus succurrat nobis. Punct. III.* Liberalitas effusa MARIÆ succurrentis peccatoribus, comparatur Soli, nam hæc *Electa ut Sol.* qui à nulla Creatura, quantumvis fœtente, & sordida, suos avertit radios, ita nec MARIA, à quantumcunque vilissimo peccatore, avertit respectum pietatis suæ, quin eidem etiam non rogata succurrat. Recurramus igitur ad sinum pietatis illius, ut quæ liberationi ab Originali, Joanni sucurrit, nos ab actualibus præservare dignetur peccatis.

Burgen. | Cant. 6. | Rych. à S. Laur.

IN FESTO. PURIFICATIONIS. B. M. V.

Punctum. I. Considera, qualiter Beatissima Virgo, purissima mente, & Corpore, tàm Originalis, quàm actualis culpæ expers, Virgo ante Partum, Virgo in Partu, Virgo & post Partum: attamen quasi una de peccatricibus, Ceremoniæ Legalis purificationis se subjecit. Confundere hic Anima Religiosa, quod tu è contra sæpè plurimorum defectuum, ac transgressionum reus, innocens

tamen

tamen videri contendas. *Punct. II.* Sanctus Aqvinas hodiernum Festum Puritatis, non verò Purificationis appellat: qvia Beata Virgo, ad summum puritatis gradum pervenit, qui sub Deo haberi potest. Non itaque Legalis illa Purificatio MARIÆ fuit necessaria, sed nobis ejus exemplo summè proficua, ut quod Legê, Regulâ,& Legibus Ordinis obligamur, seriò, ac quam diligentissimè exeqvamur. *Punct. III.* MARIA utpote purissima, non subjacebat Legi Purificationis, ex sola tamen humilitate, plus fecit, quàm debuit. Nos verò Fratres, non tantum eâ non facimus, ad quæ non obligamur facienda supererogatoriè: sed neque illa exeqvimur, quæ præstare tenemur obligatoriè. Hodiernus itaque benedictus ignis fervorem accendat in cordibus nostris, ut jugiter obligationibus, ac bonis operibus insistamus, & quô magis in ijs profecerimus, eò minus semper de nobis sentiamus.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. M. V.

Punctum. I. COnsidera, Spirituales in Cælum levando oculos, qvaliter hodie MARIÆ Virgini Cœlorum Palatia penetranti, Filius ipse cum tota Curia tàm Angelorum, quàm Justorum solemniter occurrens, evexit eam ad Beatæ Consistorium Sessionis, Diademate Regni æterni Coronandam. *Præcessit autem nos Regina nostra, ut fiducialiter sequamur Dominam Servuli clamantes: Trahe nos post te.* S. Bernar.

Punct.

Punct. II. Confidera, qvam multum fibi ille gratulatur, qvi coram Rege efficacem habet Patronum, & Protectorem, fed multò major eft noftra felicitas, qvod coram Majeftate Regis Regum continuô affiftricem talem habeamus Patronam, qvæ ut dicit: Richardus à S. Laurentio: *Non folùm poteft Filio fupplicare, fed etiam authoritate Maternâ imperare.*
Punct. III. Verebaris aijt S. Bernardus: accedere ad Patrem, dedit tibi Filium Mediatorem: fed forfan etiam Filij Majeftas, qvia Deus, & Judex eft, adhuc te terret: dedit ergo Matrem fuam poft Filium Mediatricem, in qva nihil eft, nifi Mifericordia, nihil nifi tenerrimus Matris amor. Gratulemur ergo nobis hodie, qvod cum gloria Affumptæ in Cœlos MARIÆ, facta fint nobis ad Thronum Dei incitamenta confidentiæ.

IN FESTO
S.P. FRANCISCI SERAPHICI

Punct. I. CONfideremus Fratres, Magnum hodie, Magni Patris, & Patriarchæ noftri FRANCISCI celebrari Feftum. Qui ad tantam gloriam fublimari meruit in Cœlis, qvod Regulam fibi à Chrifto dictatam in fumma perfectione obfervaverit in terris. Reflectamus hic vitam noftram, cûm ejufdem Sacri Inftituti facti fimus Profeffores, ut hujus Patris, effe mereamur Filij, & tandem gloriæ participes, necefsum eft, qvod non fo-
lo

lo Habitu, sed moribus, Vitâ, & exactâ Regulæ observantiâ, reddamur ipsius immitatores. *Punct. II.* Considera, si adhuc viventem Sanctum Patriarcham vidisses, aut Christum in Franciscum, aut Franciscum in Christum mutatum credidisses, qui ob exactam Christi immitationem, meritò dicere poterat cum Apostolo: *Vivo ego, jam non ego vivit verò in me Christus*, quia totus fuit Crucifixus Mundo, & eidem Mundus. Sed tu Fili Franciscane, inspice seriô vitam tuam, si è contra confiteri de te ipso non debeas? Vivo ego, jam non ego, sed vivit adhuc in me Mundus, Caro, & propria Voluntas. *Punct. III.* Habemus meritò Fratres, undê tantô Patre gloriemur: qui nos Professione nihil habentes, effecit omnia possidentes, qui plurimos originê vilissimos, solô Sacri Habitus respectu, ad Aulas, & Mensas Principum, ac Magnatum facit commendatissimos. Sed utrum nos Filij Sancto Patri, per exactam Regulæ Observantiam, morum, & vitæ exemplaritatem simus pro solatiô, gloria, & honore? ipse noverit: & nos reflectat præsens Meditatio? Galat 2

IN FESTO
PORTIUNCULÆ:

Punctum. I. Considera, quâm ardenti zelo flagrabat Sanctus Pater Franciscus, erga Salutem Proximorum. Nam datâ sibi à Christo Domino optionê, ut peteret quid quid vellet; non aliud exoravit, in Sacra Æde Porti-

Portiunculæ, nisi quod Saluti Animarum maximê necessarium noverat. Immitemur Patrem Filij, nè unquam simus Proximis nostris causâ Spiritualis ruinæ, sed bonô exemplô, & Sanctâ conversatione, cunctos ad Dei amorem, & salutarem excitemus peccati horrorem. *Punct. II.* Considera Sanctum Patrem Franciscum, Ecclesiolam Portiunculæ desertam, humilem, nullô apparatu instructam, plurimùm adamasse, speciales in ea revelationes Divinas habuisse, & eandem Caput, ac Matrem sui Ordinis instituisse. Ut habeamus exemplum in Capite, quô regulemur in Membris: sciamusque nullibi securius, & facilius nos Cælestium Charismatum fieri posse participes, quàm ubi in humili & pauperrima complacuerimus nobis abjectione. *Punct. III.* Consideremus Fratres pretium Altissimæ Paupertatis, & profundissimæ Humilitatis, quibus signanter Virtutibus Sanctus Patriarcha noster, tantum Indulgentiarum thesaurum meruit obtinere, quod ex eodem modo Pontifices, Imperatores, Reges, & totus Orbis Christianus, ditari cupiat. O quam ergo gloriosa, & fructifera, & dives, Minoritica nostra humilitas, ac Paupertas!

IN FESTO
S. ANTONII PADVANI.

Punctum. I. CONsidera, Sanctum Antonium Padvanum, Magnum Seraphici Ordinis decus, in brevi explevisse tempora multa, nam in Ordine Minorum, non adæqvatè

qvatè decem, & totius Vitæ ſuæ triginta ſex finiens annos, Prædicatione, Doctrina, exactâ Regulæ Sanctæ Obſervantiâ, in tam juvenili ætate, parem Antiqvis Patribus in Cælis conſecutus eſt gloriam. Nos verò in eadem Religione, multò plures numeramus Annos? ſed videamus, utrum ad gloriam, & non ad pœnam nobis reſervatos? *Punct. II.* Sanctus hodiernus Antonius, puritatem, & exactam Regulæ Obſervantiam zelando, eamque relaxare volentibus, omni conatu reſtitit, ac coram Pontifice cauſam Obſervantiæ ſtrenuè propugnavit, quam ob cauſam ab adverſarijs, pluribus moleſtijs afflictus fuit. Nos verò è contra, ob inobſervantiam Regulæ ſæpè commonemur, & pænis afficimur: nec tamen in quo, à Profeſſione noſtra deflectimus, emendamus. *Punct. III.* Conſidera, Sanctum Antonium in recuperandis rebus deperditis, ſpecialem eſſe Patronum. Per ipſius ergo Patrocinium, ſuppliciter Deum exoremus: ut horas, dies, & Annos, in tranſgreſſione Votorum noſtrorum deperditos, abhinc exacta eorundem Obſervantia, & ſeriâ vitæ emendatione recuperemus.

IN FESTO
S. JOANNIS CAPISTRANI.

Punctum. I. CONſideremus Fratres, cum qvanta pietate, & deſiderio Rex, Regnique Proceres Sanctum Joannem Capiſtranum exorarunt, ut Poloniam viſitaret, ac

ac Religiosos Observantes, famâ Sanctitatis celebres, secum in Regnum introduceret: quod cùm fecisset, universus populus, videndo ipsorum modestiam, gravitatem, ac mores, solam Sanctitatem spirantes: *arbitrabantur Angelos in carne venisse ad Regnum.* Chrono: Qvia sicut redditur Mundo commendabilis Religiosorum exemplaritas, itâ certò execrabilis, scandalosa impietas. *Punct. II.* Felicia Nostræ Observantiæ in hoc Regno exordia, dum primô sæculô, tot Beatos, tot Venerabiles, miraculis, & famâ Sanctitatis claros, genti ad decus, & Cælo reddidimus ad gloriam. Sed nunc fortè illis Successoribus similes, qui progenitorum suorum heroicis gloriantur Virtutibus, Scipiones, Ducales Clavas, & variarum functionum demonstrant in Sepulchralibus bustis, insignia: ipsimet verò sinè fama, & inimitabili Virtute, vix partem sterilis agri hæreditant. *Punct. III.* S. Capistranus Prophetavit, quod in hoc Regno futurum erat: ubi nulla in Clero exemplaritas, exigua in Religiosis Observantia, summa in sæcularibus esset scurilitas, propter quod Deus affliget Regnum plagis gravissimis: postmodum tamen omnes in pristinũ emendabuntur Statũ. Qvidqvid igitur Fratres, & nos à Sancta Observantia, & punctualitate Mandatorum Dei deflexímus; mutemus in melius Vitam, ut & Deus castigationis suæ mutet Sententiam.

IN FESTO
B. SIMONIS DE LIPNICA.

Punct. I. CONsideremus Fratres Charissimi, cum

cum qvanto cordium noſtrorum ſolatio? vi-
demus hodie Beatum Simonem Lipnicium,toti
Orbi Chriſtiano, ſuper Altaria,publicæ exponi
Venerationi,& in Cæleſti gloria,credimusBea-
torum felici annumeratum Cætui: illum ſcili-
cet,qvi eandem,& in eadem Provincia Profeſſus
eſt Regulam, in ijſdem nobiſcum Conventibus
& Officijs convixit. Modo verô jam laborum,&
meritorum perenni fruitur mercede. Ergo
Fratres,*poſſumus,& nos eſſe, quod ille eſt, ſi facia-
mus quod ipſe fecit:* aſſecurat S.Chryſtomus. *Pun-
ctum. II.* Qvanta miſerentis Dei erga nos
dignatiô? qvod non reqvirat à nobis, ut cum
Sanctis Martyribus, gladios, rotas, ignes, be-
ſtias, & crudeliſſima ſubeamus tormenta.
Non exigit, ut cum Anachoretis, in ſolita-
rijs antris, & cavernis, pane, & aqvâ mace-
remur: ſed ſolum ut Sanctam, qvam Vovimus
Regulam, exacte Obſervemus. Officijs,ac Obli-
gationibus communibus punctualiter ſatisfa-
ciamus: & parem nobis cum Sanctis Præde-
ceſsoribus,ſpondet Mercedem. *Si hæc obſerva-* profeſs.
veris, promitto tibi Vitam æternam. Noſtrâ igi-
tur accidet culpâ, ſi tam ſvave Salutis medi-
um contemnentes, vias pravas, quorum finis
interitus, ambulaverimus. *Punct III.* Beatus
Simon Officiô Prædicator, & Novitiatûs Cra-
covienſis Magiſter, zelô ſuô,ac pietatê, in Re-
gulari Obſervantia, tot, ac tantos educavit
Viros, qvi poſtmodum ad Aulas Regum,& Pri-
morum Magnatum Celebres Theologi, & Vir-
tutum extiterunt ipſiinet Magiſtri. Omnes
iſti certè non fuerunt naturæ præſtantioris,

ſed

sed Observantioris, non alias tunc, qvam modo habebant Novitatus instructiones, sed qvia easdem exactissimè observabant, & exeqvebantur: nos verò tepidi, negligentes, propriæ voluntatis homines, cum non Virtutum, sed tantum sumus Successores Cellarum, unde nec fortè erimus consortes Cælorum.


IN FESTO OMNIUM SANCTORUM ORDINIS

Punct. I. SI nobis hodie fratres, ad Ostium illud magnum, qvod Joanni apertum fuit in Cœlo, accedere liceret, cum qvantô spiritus solatiô, videremus in illa felici Patria, maximam Religiosorum Ordinis nostri multitudinem, in gloria inennarabili cum Deo lætantium: qvi omnes non aliter, nisi per multas tribulationes in hocce Regnum Dei introierunt. Seducis igitur animam tuam, qvicunqve alia Via, qvàm passionis, & mortificationis, ad illam Societatem perventurum te speras. *Punct. II.* S. Athanasius Abbas, raptus ad Portam Cæli, audivit Choros concentûs svavissimi, laudantium Deum: cumque vellet ad eos ingredi, audivit sibi dictum: *Nemo huc ingreditur negligens, revertere, certa viriliter, vince passiones, contemne Vanitatem, & ad nostram admitteris Societatem.* Via, & Vita Fratrum Minorum, via est Passionis, Pœnitentiæ, & Mortificationis. Si ergo hic
Vit. SS.

in jocis, ludo, ebrietate, comessationibus, ac commoditatibus, nobis complacemus, certò certius à porta Cæli repulsam patiemur. *Punctum. III.* Christus Dominus, *Suspiciens aliquando in Cælum ingemuit.* Ut sciamus, qui à Cælestibus gaudijs, per terrena oblectamenta discessimus, quod ad hæc non nisi per gemitus, & suspiria redire valeamus. Imô S. Pater noster Franciscus, hanc inferebat seqvelam: Si Christum opportuit pati, & ita intrare in gloriam suam, multò magis opportet nos peccatores, adeò enormes per Viam Crucis, & passionis illuc incedere. Audite ergo vocem Patris Vestri, & scitote: quoniam non aliter, nisi per multas tribulationes opportet Vos introire in Regnum Dei. Marc. 7. V. Beda

Et hæc omnia cedant.

Ad M. D. G. B V. M. J. C.
Seraphici Patriarchæ
FRANCISCI,
Sanctorumqve Omnium
Cultum, & Venerationem.


Meditationes pro Octiduanis Recollectionibus, Qvolibet die Mane, in Prandio, & Vesperi instituendæ.

		Pag.	F.
I. Die. Medi. 1.	*De Fine Hominis.*	133	2
Medi. 2.	*De Corde non dividendo.*	252	2
Medi. 3.	*Deo ex toto Corde serviendum.*	218	6
II. Die. Medi. 1.	*De prima cura Salutis.*	241	4
Medi. 2.	*De Præceptis Obligatorijs.*	271	2
Medi. 3.	*De Tepiditate animi.*	44	2
III. Die. Med. 1.	*De Peccato Veniali.*	51	2
Medi. 2.	*De Peccato Mortali.*	58	D.
Medi. 3.	*De vi sibi inferenda.*	180	4
IV. Die. Med. 1.	*De Confessione.*	18	D.
Medi. 2.	*De serio Conscientiæ examine.*	150	6
Medi. 3.	*De remorsu Conscientiæ.*	135	4
V. Die. Med. 1.	*De Felicitate Status Religiosi.*	13	2
Medi. 2.	*De Obligationibus exactè absolvendis.*	46	4
Medi. 3.	*De Propositis sæpè renovandis*	147	2
VI. Die. Medi. 1.	*De Morte.*	64	S.
Medi. 2.	*De Judicio particulari.*	66	2
Medi. 3.	*De Inferno.*	24	S.
VII. Die. Med. 1.	*De sequendo Christo, ut exemplari nostro.*	191	S.
Medi. 2.	*De Tempore salutariter impendendo.*	215	3
Medi. 3.	*Qvod vis, seriò velis, & fac.*	316	3
VIII. Die. Med. 1.	*De Spirituali fructu afferendo.*	275	S.
Medi. 2.	*De Perseverantia finali.*	225	S.
Medi. 3.	*De Cælo.*	183 & 343	S. D.

Pro Conclusione legatur Medit. Fer. 6. fol. 348.

INDEX

INDEX MATERIARUM.

Quæ Sacris Meditationibus discutiendæ proponuntur. Primus numerus Paginam: Secundus Feriam designat.

Litera D. Dominicam S. Sabbathum denotat.

A	Pag	F.
Abstinentia.	204	5
Æternitas Pœnarū	342	6
Affectus Iaculatorii. - - -	152	S.
Affectiones sensuales. - -	134	3
Afflictiones vitæ præsentis. -	87	2
Amicitiæ inordinatæ. - - -	182	6
Amor Dei. - -	110	5
Ambitio. - -	75	4
Amor proprius.	226	D.
Amor Christi erga nos. - - -	220	D.
Animæ custodia.	121	2
Animæ cura præcipua. - - -	254	4
Animæ potentiæ satiabuntur. -	346	4
Animi sinceritas.	42	S.
Animæ securitas.	315	2
Anni ultima dies.	357	
Antonius Paduanus	367	
Appetitus Cœlestiū	128	3
Appetitûs Mortificatio. - - -	206	S.
Arbor sterilis homo	275	S.
Ariditas Spiritus.	52	3
Ascensio Christi.	143	5
Assumptio B. M. V.	363	
Auditus nocivus.	237	6
Auditus Salutaris.	239	2
Ares sint exemplô.	254	5
Auxilium Divinū.	28	4
Auxilium gratiæ quærendum. -	201	2
Annuntiatio BMV.	360	
B.		
Beatorum Status.	343	D.
Benedictio Mensæ.	204	5
Beneficij oblivio.	249	5
Blasphemia. -	279	4
Bonum exemplum.	74	3
Bonum Nomen.	313	S.
Bonus Pastor Christus - - -	120	D.
Bonꝰ Pastor quisque sit. - -	120	2
Breve tempus.	44	2
Brevis Vita. -	215	3

	Pag	F.
Breve Mundi solatium. - -	126	D.
C.		
Cantus Deo placens	247	3
Cæcitas mentis.	81	4
Cælestia gaudia.	282	D.
Cælestis gloriæ perpetuitas. -	131	S.
Cellæ Solitudo salutaris - -	234	3
Charitas Proximi.	69	5
Christus promptè fervendus. -	4	1
Christi Immitatio.	99	S.
Christus nostrum exemplar	191	S
Christi Vita privata - -	16	6
Christus Judex Severus. - -	323	3
Christus diligenter quærendus.	112	S.
Christus in Passione sensibilis.	83	6
Christus instituit Euchar: - -	103	5
Christus Orat in Horto. - -	94	2
Christ. ducitur ad Judices. - -	95	3
Christ. Flagellatur	96	4
Christ. Spinis Coronatur. - -	97	5
Christus ad Mortem damnatur.	99	S.
Christus Bajulat Crucem. - -	101	2
Christ. Vestibus spoliatur. - -	101	3
Christ. Cruci affigitur. - -	102	4
Christ. in Cruce exaltatur. -	104	6
Christus Sepelitur.	105	S.
Christ: gloriosè resurgit. - -	106	D
Christus Ascendit in Cælum. -	143	5
Civiũ occasio ruinæ	221	2
Clausuræ felicitas	113	D.
Clausura Spiritualis. - - -	114	2
Confessio. - -	18	D.
Confessio seriò facienda. - -	248	4
Conformitas Voluntati D. -	211	6
Conscientia erronea. - - -	164	4
Conscientiæ puritas. - - -	140	2
Conscientia seriò examinanda. -	150	6
Conscientiæ Status	197	5
Conscientiæ tranquillitas. -	27	3

Con-

	Pag.	F.
Consilium Spirituale. - -	301	D
Consortia mala.	8	7
Constantia in propositis. - -	225	5
Conversio non differenda. - -	178	2
Cordis divisio.	252	D
Cordis munditia.	279	5
Correctiones acceptandæ. - -	221	3
Credibilium Certitudo. - -	119	S
Curiositas nociva.	260	5
Curiositas Prædestinationis.	319	6
D		
Defectus minimi.	39	3
Defectus Proximi.	244	S
Delicta non iteranda. - - -	7	6
Dei longanimitas.	34	5
Dei magnalia. -	262	S
Deo soli serviendũ	252	2
Deo strictè reddenda ratio.	294	D
Desperatio maximũ malum. - -	277	2
Desideriũ æternorum. - - -	185	D
Detractio. - -	194	D
Deus nobis, ut nos Proximo. -	300	S

	Pag	F
Deus omnes vult salvare. - -	285	5
Deus solos Justos salvat. - -	286	6
Deus diligendus super omnia. -	242	5
Diffamatio. - -	214	2
Dilectio Proximi.	243	6
Director noster Deus	257	D
Divertimentum ad Præsepe. - -	355	
Dives Religiosus.	213	D
Discreta Correctio.	298	5
Divinum Officium.	8	D
Divinæ illustrationes. - - -	124	6
Doctrina falsa.	207	D
Doctrina Christi.	50	D
Dominica infra Nativit.	355	D
Dominans passio.	37	D
Donũ Timoris Domini. -	199	S
Donum Sapientiæ.	153	D
Donum Intellectus.	154	2
Donum Scientiæ.	155	3
Donum Consilij.	156	4
Donum Pietatis.	157	5
Donũ Fortitudinis.	158	6
Dotes Corporis gloriosi. -	345	3
Duo extrema.	348	6

Eccle-

E	Pag	F.
Ecclesiarũ Cultus.	11	5
Ecclesia frequenter visitanda.	8	D
Ecclesiarum observantia. - 61.	224	6
Electorum paucitas	49	5
Eleemosyna. -	163	3
Elevatio Spiritus.	144	6
Emendatio non differenda. -	73	2
Eucharistia amoris prodigium. -	167	6
Eucha. bonitas stupenda. - -	166	5
Euch. Incar. & Pass. extensio. - -	168	5
Euch. Institutio.	103	5
Euch. liberal. D. effusio. - -	169	D.
Euch. Medicina animæ & corporis	173	5
Eucha. Morientium Viaticum.	175	5
Euch. Pignus salutis	171	3
Euch. Solatium in tribulatione.	174	6
Euch. Vincul. hominis cum Deo.	170	2
Eucha. Vita bonis, mors malis.	172	4
Examen Operum.	266	4
Examen Profectus.	292	6
Exclusio à Regno Cælorum. - -	22	6

	Pag	F
Exemplum bonum.	74	3
F		
Falsa pietas.	270	D
Felicitas Deo servire - - -	9	2
Fidei gratia. -	111	6
Fideliũ Congregatio	125	5
Fiducia in Deo.	28	5
Finalis reproborum separatio. -	335	5
Finis Hominis.	132	D
Finis Operum.	133	2
Flos sinè fructu.	316	3
Franciscus Patriarcha Noster.	364	
Fraterna concordia	114	2
Fraterna Correctio	81	3
Fraterna Reconciliatio. -	198	6
Fructus bonæ Operationis. - -	209	4
Fructus Pænitentiæ	274	6
Fuga hominum.	202	3
G		
Gaudia Electorum.	345	3
Gloria Cælestis.	72	D
Gratia Dei.	227	2
Gratia D. quidquid sumus. - -	296	3
H		
Habitus difficilè emendabilis. -	274	4

Ho-

	Pag	F
Homo Carnalis.	284	2
Homo de malo bonum convertit,	264	2
Homo Imago Dei.	305	6
Homo instabilis.	265	3
Homini testis Conscientia. - -	324	4
Humilia quærenda.	3	5
Humilitas Virtus excellens. -	21	4
Humilitas brevis ad Deum via.	231	S
Hypocrisis. -	79	D
I		
Ignis Inferni acerbitas. - -	76	5
Ignis Infernalis natura. - -	338	2
Immaculata Concep. B. M. V. -	358	
Impatientia. -	41	5
Imperfectiones.	136	5
Impatientia alijs molesta. - -	41	6
Ingratitudo. -	250	6
Infernus locus tormentorum. -	337	D
Infernalis miseria.	24	S
Infirmitas corp. salubris. - -	288	D
Infirmorũ Servitus.	29	5
Innocentia Aurum.	6	3
Innocentiũ SS, Festũ	354	

	Pag	F.
Injuriarum remissio	161	2
Invidia. - -	80	2
Iracundiæ Passio.	195	3
Ioannes Capistranus	367	
Ioannes Evangelist.	352	
Iudicij Memoria.	216	4
Iudicium humanum.	137	6
Iudicium part. in morte. -	66	2
Iudiciũ Severissimũ.	321	D
Iudiciũ Strictissimũ	325	5
Iudiciũ Universale	324	D
Iudicia Sinistra.	264	2
Iudicium temerariũ	88	3
Iustorum ab Injustis separatio. -	333	5
L		
Laborê obtinetur quies -	71	S
Lachrymarum donũ	129	5
Laudes humanæ.	217	5
Laus propria.	228	4
Laus Dei quærenda.	237	S
Lectio fructuosa	314	D
Lectio Spiritualis.	10	4
Legũ custodia exacta	138	S
Lepra Animæ. -	245	D
Lepra pœnalitas.	246	2
Libri Conscientiæ.	309	D
Lilium sit exemplò.	255	6
Lingva nociva. -	235	4
M.		
Magnanimitas.	40	4

Malè

	Pag	F
Malè acta emendanda. - - -	1	1
MARIA Clemens in peccatores. -	17	5
Mater Dolorosa.	98	6
Majestas Christi Iudicis. -	331	3
Meditationis Utilitas. - - -	56	6
Meditatio Passionis Xti. - -	93	D
Mendacium. -	302	2
Miracula non expectanda. -	203	4
Miracula non tentanda. -	292	5
Misericordia Dei.	78	5
Mortis incertitudo	63	6
Mortis Memoria.	61	4
Mors insperata.	307	D
Mors Iustorum.	310	4
Mors Peccatorum.	311	5
Mortis necessitas.	6	5
Mors Spiritualis.	258	2
Mors separat ab omnibus. - -	322	2
Mortificatio medicinalis. - -	37	D
Mortificatio minima. - -	38	2
Mundi divitiæ.	14	3
Mundi fallacia.	12	D
Mundi falsũ gaudiũ	129	4
Mundani Honores.	15	4
Mundus laqveis plenus. - - -	188	4
Mundi inconstantia	126	D
Mundi oblectamenta. - -	16	5
Mundi servitus dura. - -	189	5
Murmurationes Deo odiosæ. -	45	3
Murmur Refectorij.	205	6
Mutus in laude Dei	233	2
Myrrha Mortificationis. -	6	5
Mysteria Fidei.	116	4
N		
Na ivitas Domini.	350	
Nativitas B. M. V.	359	
Negligentia supplenda. -	251	5
Negotium salutis.	2	3
Nihil ex nobis valemus. - - -	296	3
Nos vitia relinqvamus. - -	293	5
Nulli te præferas.	269	5
Nullus spernendus.	263	D
Nuptiæ Cœlestes.	283	2
O.		
Obedientiæ præstantia. -	20	3
Obedientiæ Virtus.	280	6
Obedientia Prompta. -	281	5

	Pag	F.
Obligationes exactè exeqvendæ. -	46	4
Obligatoria Præcepta. - - -	271	2
Observantiæ Constantia. - - -	312	6
Occasiones mali.	3	4
Occasiones malorum	149	5
Oculorum custodia.	179	3
Oculus Mentis.	321	D
Odium Proximi.	196	4
Officium Divinum.	10	3
Omnium SS. Ordinis	370	
Operum bonorum fructus. - -	36	S
Opera bona in Iudicio. - - -	326	6
Opera misericordiæ	299	6
Opera nostra ex se nihil. - - -	296	3
Opera indiciū cordis. - - -	320	S
Optimi corruptio pessima. - -	223	5
Orantis Humilitas.	141	3
Orantis Perseverantia. - -	142	4
Oratio Deo placens.	210	5
Orationis Præstantia. - - -	139	D
Oratio Christi in Horto. - -	94	2
Otium Cavendum.	43	D

P.

	Pag.	F.
Passio Christi recolenda. - -	70	6
Passio Christi sit præsens. -	77	6
Passio Cordis JESU	90	6
Pastor Bonus.	120	D
Patientia Dei.	297	4
Patientiæ necessitas	57	S
Pax Religiosa. -	108	3
Peccatum Carnale.	85	S
Peccati effectus.	35	6
Peccatum Mortale.	58	D
Peccatoris mutatio.	30	S
Peccata Occulta.	59	2
Peccatorū remissio.	118	6
Peccatoris triplex Status. - -	19	2
Peccatum Veniale.	51	2
Perfectio qværenda.	60	3
Perseverantia Coronat. - -	55	5
Portiunculæ Festū.	365	
Præcepta omnia servanda. - - -	138	S
Prædestinatio.	47	S
Prædicatoris Officiū	187	3
Præsentia Dei.	122	4
Præparatio ad mortem. - -	259	3
Præparatio ad S. Communionem.	199	S
Præsumptio. -	304	4
Profectus Spiritualis. - -	148	3

	Pag	F
Proposita sæpè renovanda.	147	2
Prima cura Salutis	256	S
Providentia Dei.	86	D
Proximus adjuvandus.	191	6
Pœna Damni gravissima.	342	S
Pœna Sensus.	339	3
Pœnitentiæ efficacia	183	S
Potentiarum animæ cruciatus.	340	4
Pugna Passionum.	222	4
Purgatorium.	317	4
Purificationis Festum B. M. V.	362	
Pusillanimitas.	121	3
Q.		
Quis cum Christo ascendit.	145	S
Quis sit noster Proximus.	173	5
Quid Voluntas? quid Velleitas.	316	3
Quomodo Deus diligendus?	271	3
Quomodo huc intrasti?	287	S
R.		
Reffectorij murmur.	205	6
Relapsus in peccatũ	68	4
Religiosorũ Sermo.	107	2
Religiosus Ovem immitetur.	123	5
Religiosi Status felicitas.	13	2
Religiosorum Tentationes.	26	2
Remissio Peccatorũ.	278	3
Remorsus Conscientiæ.	135	4
Respectus Mundani.	89	4
Respectus Hominũ.	303	3
Resolutio ad Servitium Dei.	127	2
ResurectioMortuorũ	330	2
Revelatio Conscientiarum.	332	4
Reverentia in Templis.	67	3
S.		
Salutis maximum negotium.	181	5
Sancta Sanctè tractanda.	306	S
Sanctorũ invocatio.	218	S
Sanctitas falsa.	208	2
Salutis prima cura.	241	4
Sanitas Spiritualis	267	5
Scandalum.	149	4
Sæculi perversitas.	218	6
Sæcularis Potestas.	304	5
Sententia Dei Judicis.	327	S
Sententia Jud. Universalis.	334	5
Silentij magna Virtus.	267	5

	Pag.	F.
Simon de Lipnica.	368	
Simulatio Sanctitatis. - -	193	D
Solatia Servorū Dei	109	4
Solicitudo Vitiosa.	253	3
Solicitudo moderata	203	4
Solitudo Spiritualis. - -	202	3
Solitudo Deo placens. -	308	2
Spes in Deo collocanda. - -	200	D
Spiritualis Circumcisio. -	3	4
Stephanus Protomartyr. - -	351	1
Studiū Obligationū	146	D
Superbia. - -	230	6
Superiorum obligatio. -	176	D
Surditas Spiritualis. - -	232	
T.		
Talentis cooperandum. -	295	2
Tempestivè malis occurrendum. -	290	3
Temporis jactura.	292	6
Templorum cultus.	167	3
Tempus benè impenden. -	215	3
Tentatio Dei. -	240	3
Tentationes Servorum Dei. -	25	D

	Pag	F
Tentationes sæpè utiles. - -	65	D
Tepiditas Spiritus.	44	2
Terrenorum contemptus. - -	186	2
Timor Dei. - -	89	5
Timor Domini Salutaris. - -	261	6
Trinitatis SS. Mysterium. - -	160	D
Triumphus Resur. D	106	D
Triumphus Ascen. D	143	5
Tolerantia malorū.	33	4
Thesaurus Meritorum. - - -	297	4
Thus devotionis.	6	4
Tristitia inordinata	130	6
Tumultus Mundi.	234	3
Turpiloquium cavendum. - -	236	5
V.		
Vana gloria cavenda	229	5
Velle efficaciter.	316	3
Verbum Dei. - -	31	D
Verbi Dei fructus.	32	2
Verba indecentia.	236	5
Verba læsiva. -	196	4
Vermis Conscientiæ	341	5
Victoria Passionum.	16	6
Viæ ad Cælum duæ.	318	5
Vigilia Nativitatis D. N. J. C. -	349	

	Pag.	F		Pag.	F
Viriliter à peccato resurgendum.	260	4	*Vocationis D. contemptus.* -	284	3
Virtus Solida. -	208	3	*Vocatio Religiosa.*	48	6
Virtus falsa. -	227	2	*Voluntas propria.*	212	S
Vis sibi inferenda.	180	4	*Vulnera Christi.*	117	5
Visio Dei clara.	347	5	Z.		
Visitationis Festum.	361		*Zelus Animarum.*	82	5
Vita Spiritualis.	291	4	*Zelus gloriæ Dei.*	224	6
Vitia relinquenda.	293	S	*Zizania perversorum.* - - -	32	3
Ultima dies Anni.	357				




Biblioteka Jagiellońska
stdr0025662


RP